ria


V
B
J
C

1669 —

HISTORIA PERSECUTIONUM ECCLESIÆ BOHEMICÆ,

Jam inde à primordiis conversionis suæ ad Christianismum, hoc est, Anno 894. ad Annum usque 1632. Ferdinando secundo Austriaco regnante,

IN QUA

Inaudita hactenus Arcana Politica, consilia, artes, præsentium bellorum veræ causæ & judicia horrenda exhibentur.

Nunc primum edita cum duplici INDICE.



ANNO DOMINI.
CIↃ IↃ C XLVIII.

Typographus lectori S.

VEnit ad manus meas his diebus *Synopsis Historica Persequutionum Ecclesiæ Bohemicæ*, ſcripta jam ante annos quatuordecim, ſed inedita huc-uſque. Cauſam intellexi ex amico, qui eam communicavit, quod occaſio ad eam tum ſcribendam data, antequam conſcribi potuiſſet, elapſa fuit: nempe Foxii Martyrologium, cui appendicis loco ſubjungenda fuit, jam prodierat. Suppreſſerunt illam itaque Authores, id rurſum ſibi in occaſionem plura conquirendi, eôque plenius eandem hiſtoriam ſuo tempore edendi, aſſumendum rati. Quia vero ex eodem amico intellexi Hiſtoriæ hujus col-

lectores

lectores quoſdam interim vitâ functos eſſe : non ægre ferent alii, ſi qui ſuperſunt, hoc ipſum quod nobis illorum tantiſper induſtria dedit, in lucem mitti. Intereſſe enim putant Viri boni & docti, non ignorare iſta Eccleſiam DEI, quomodocunque tandem concepta ſint. Et ut qui vivunt promiſſa exſolvendi, Hiſtoriamque Martyrologiorum ſuorum plenius deſcriptam, & hucuſque continuatam, in lucem mittendi occaſionem habeant. Quod dum ab illis exſpectamus, nos interim his frui ne invideant. V.

PIO

PIO *Lectori S.*

PO *ſtquam editionem* Martyrologii
Foxiani *à viris doctis, poſteritatiſque*
udioſis, denuo in Anglia adornari, & au-
aria undique conquiri, noſtrûm quidam è
ente Bohemæ diſperſorum in Belgio conſti-
uti, cognoviſſent, ſimulque de adjungenda
ræſentis noſtræ perſequutionis, exiliique hi-
oria, fuiſſent admoniti: non intermiſerunt
llico ad amicos per Miſniam, Poloniam,
Hungariam, exulantes ſcribere, ut memo-
abiliter geſtorum, quantum poſſent, de infe-
ici hac fabula conſignarent. Cogitavimus
nos quidem, nihil forſan à nobis dari poſſe,
ujus non ſufficientia prius exſtent exempla,
ive acerrimum Satanæ in Eccleſiam odium
abiemque, ſive fraudulentiſſimas Anti-
hriſti machinationes, ſive humanam in
erſequutionibus fragilitatem, ſive ſapien-
iſſimum DEI *in tutandis ſuis conſilium &*
auxilia, ſpectemus. At quia non injucun-
dum eſſe ſolet piis mentibus, nec certe fructu
etiam ſuo caret, diverſis ſubinde multisque
in exemplis intueri, tum quam variis occa-
ſionibus Deus *Eccleſiam cruce exercere, tum*
quam aſtute veterator Satan ſanctos DEI
circumvenire, tum quam diverſimode homi-
nes certamini expoſiti labi, & tandem quam
mire Deus *quibuſdam robur indere ſoleat, ut*
pro-

pro nomine suo ignominias, exilia, carceres, mortes, & ærumnosa quæque, animose subeant, Mundumque succumbendo vincant: ideo nos nostra quoque explicare, & Ecclesiis Christi per Orbem dispersis communicare, voluimus. Et jubet ipsa propemodum Pietas, prohibere, quantum fieri per nos potest, ne ignoret posteritas, quos transierimus nos quoque torrentes, & in quibus æstuaverimus ignis clibanis: *ut agnoscentes, quam Ecclesia militans perpetuis obnoxia sit vicissitudinibus (ut Lunæ instar jam crescat, jam decrescat; jam pleno diffundat lumina vultu, jam tristissimam patiatur eclipsin (minus turbentur futuris unquam temporibus, animosque sibi parent in omnes casus mature intentos, denique non sub Sole, sed in supercælestibus, quærere condiscant securitatem & beatitudinem. Eo fine* altius etiam visum est ordiri hæc nostra, omnesque insigniores Ecclesiæ Bohemicæ mutationes, jam inde à primordio sui, redigere in tabellam: *cum præsertim de primis illis sub* Gentilismo, Papatu, & Pseudo-Hussitismo, *nostrorum martyriis, pauca hactenus exteris communicata sint: adeoque martyrologia, præter* Hussum & Hieronymum Pra-

gensem (*præterque* Milicium, *cujus* Catalogus Testium Veritatis *meminit*) *pleraque omnia nostra ignorent. Visum igitur est hac eâdem occasione antiqua conjungere novis, & uraque, brevitate quâ maxime potuit comprehensa, stylo historico, id est, Veritatis, persequi; prout nempe illa ex annalium nostrorum monumentis accurate excerpta, hæc ex præsenti propria observatione. vel certe testimoniis* αὐτοπτῶν, *fide optimâ collecta, sunt. Et hæc quidem postrema* Ferdinandiana persequutio, *quamvis ob politicas causas videri possit mota, bonaque eorum pars quæ hîc fidelibus obvenerunt, per militarem in belli cursu licentiam gesta: martyria tamen esse, quæ hîc constantes Euangelii assertores passi sunt, non negabit, qui Apocalypseos illa verba considerabit:* Et datum est illi (*Bestiæ*) bellum gerere cum sanctis, & vincere (*Apoc.* 13. 7.) *Annon &* Nabuchodonosor *evertendæ Hierosolymæ politicam habuit causam? temerariam nempe & obstinatam Iudaici populi à se defectionem. Quid tamen adhæc Deus?* Videatur Jes. 47. 6. 7. Jerem. 50. 17. 18. Zachar. 1. 14. 15. & alibi. *Annon* Antiochianæ persequutioni *ipsimet*

met

met Iudæi, domesticis tumultuationibus, dederant ansam? (2. Machab. 5. 11) num ideo excusatus tyrannus? Alia scilicet est castigantis ob delicta Ecclesiam Dei, alia eam evertere quærentium hostium, intentio. Iure igitur Machabæano isti martyri succinere licet: Nos quidem ob peccata nostra patimur: tu tamen qui bellum cum DEO geris, servis ejus manum inferendo, judicium omnipotentis non effugies, &c. *(2. Machab. 7. 18. & 53. & ss.) Optassemus quidem nostra hæc copiosius colligi, & accuratius digeri potuisse, quam nostrarum rerum præsens status patitur: quia tamen iterum, & tertio, de submittenda aliqua rerum nuper in Patria & Ecclesia gestarum communicatione admoniti fuimus, hoc quicquid est dare, quam bonorum desideria remorari, maluimus. Vbi nos recollegerit (speramus autem) Deus, poterunt alia memoratu digna adjungi: hæc vero ipsa, quæ nunc exhibemus, ad majorem evidentiam explicatius describi. Vale.*

Dabamus in Exilio, Anno 1632.

N. N. N: &c.

SYN-

SYNOPSIS HISTORICA

Persequutionum Ecclesiæ Bohemicæ, jam inde à primordiis conversionis suæ, hoc est *Anno* 894. ad *annum* usque 1632. continuata.

CAP. I.

Bohemi ad Fidem conversi, persequutionem mox experiuntur.

BOhemi, gens Heneta, seu Slavica, idololatricis dedita cultibus ad Annum usque Christi 894. sine Deo vero' sine Religione, vixerunt. Eo autem ipso anno *Borivojus* eorum Dux, apud Moravorum regem Swatoplucum hospes, mira Dei dispositione Christi cognitione imbutus, Ba-

ptiſmatisque mox fonte ibidem, *Olomutii*, cum triginta Palatinis 23. Iunii tinctus, domum cum gaudio revertitur: *Methudio* Moraviæ Antiſtite, Bohemis ſuis Apoſtolo futuro, ſecum abducto. Vbi factâ per Euangeli prædicationem ſemente, ingens mo colligitur meſſis: cùm *Ludomilla* Duci uxore (remoto, quod hactenus colebat *Kroſina* idolo) tùm magno de Proceribus plebeque numero, ad Baptiſmum quotidie confluente: *Borivoj* autem Templa ſcholasque paſſim erigente.

2. *Hæc erat Bohemis prima Euangel lux, ſed à qua crucem abeſſe noluit Crucifixus:* qui ut proprio ſanguine Eccleſiam fundavit, ita eandem Martyrur ſanguine ſubinde ad fæcunditate conſpergi, admittit: quod divinæ ſapientiæ conſilium eſt, ut non propte hanc vitam ſperare diſcamus in Chr ſtum. Conſtitit itaque Bohemis etia nonnullo ſuorum ſanguine Euang lium: inter quos præcipui fuerunt, *L domilla* & *Wenceſlaus* Principes, center que aliquot è plebe. Quod uti accid rit, paucis (ex *Dubravio* potiſſimùn hic recitabimus.

3. Primus omnium *Borivojus* ab in-
idelium ſcelerata factione in exilium
ctus eſt: ſurrogato illi *Stoymiro*, qui
er annos tredecim in Bavaria exula-
erat. At ubi hunc quoque Chriſtia-
ium eſſe agnoverunt, remiſerunt in
xilium. *Borivojus* itaque revocatus,
rincipatum filio *Spitigneo*, Ethnicis fa-
entiori, reſignare coactus. A cujus
norte *Wratiſlao*, minori natu *Borivoji*
ilio, *Drahomira* illuſtris genere & for-
nâ, ſed Ethnica puella, in uxorem
latur: blanda primùm marito, &
Chriſtianis Proceribus, ſpondensque
mnino à Catechiſmo ſe ad Bapti-
mum venturam. Sed utroſque ta-
nen, Catechiſtas & ſponſores, mu-
ier impia audacter fefellit: quini-
nò longè ſe immaniorem in Chriſtia-
ios quàm Ieſabel in Prophetas ex-
ibuit.

4. Vivente quidem pio marito,
nalè conceptum in Chriſtianos odium
aferrimè diſſimulavit: ſed funerato
o, cùm filiolus natu major *VVence-
laus* à *Ludomilla* avia educandus ſuſci-
eretur, illa minorem *Boleſlaum* ſibi in-
tituendum depoſcens, regimen ad ſe

rapuit, & mox publicato edicto Templa Christianis occludi, cultuque & sacris abstinere, jussit: ac ne Sacerdotes populum docere, ne Ludimagistri juventutem instituere pergerent prohibuit. Secus facientibus carcer exilium, mors, denuntiata: *Prag* magistratus immutati, & pro Christianis idololatræ crudelissimi substituti quorum instinctu, clam palam, ac semper impunè, fidei cultores indign tractabantur, occidebanturque. S quis autem Christianorum sese defendendo illorum aliquem interfecisset, pro uno in decem capita animadvertebatur.

5. Sed ne hac quidem pœna inexplebilis *Drahomiræ* feritas satiari potui nimia cupiditate pellendi delendique quàm primùm, omnes Christiano Accito igitur sævissimo cive, quem Pragensibus Prætoris nomine præfecerat, *Balhojo*, exsecrabile illi desiderium animi sui indicat, illudque a ipso expleri, dolo aut vi, impense or pretium operæ benè navatæ amplu promittens. Recipit ille in se facinu conjuratorũ amplius sexcentos dor

s

uæ armat, cum illis ad deſignatorum
ædi ædes properat, has expugnare
ggreditur. At quia res utcunque
Chriſtianis innotuerat, convenerant
lli quoq; ad defendendam ſuam ſuo-
umque vitam, quadringenti circiter:
ugnatumque eſt ita, ut penes Chri-
tianos eſſet victoria, deſideratis utrin-
que, (quorum ſanguine plateæ, vici,
orumque fœdata) circiter 800.

6. *Drahomira* conſilium ſucceſſu
aruiſſe impotenter ferens, & ad frau-
lem converſa, tumultus ejusmodi diſ-
plicere ſibi ſimulavit: eoque arma
utrinque deponi, atque in domum
Prætoriam inferri juſſit, ſeverè inhi-
bens, ne quis cum telo gladióve ince-
deret.

7. Chriſtiani etſi perfidiam habe-
rent ſuſpectam; ne tamen mandatis
Magiſtratus obſiſtere velle viderentur,
arma ad locum, ad quem ſua quoque
adverſam factionem deferre conſpi-
ciebant, deferunt. Quos ita exarmatos
denuò aggredi jubet *Drahomira*: no-
cte multâ ad id delectâ, ne in die, ut
nuper, tumultus fieret. Occiduntur i-
taque una nocte à conductis ſicariis

plures quàm trecenti, semisomnes, seminudi. Quâ clade *Drahomira* læta, sed non exsatiata, sanguinario suo prætori apertè jam Pragæ grassandi, omnesque Christianos è medio tollendi, negotium dat. Obsequitur ille, sicariis & carnificibus septus per forum & plateas circumit, obviosque omnes mactat: donec iterum Christiani, mori fortiter pugnando, quàm desidiosè torpescendo præoptantes, sese conglobant, & cum Prætore congressi vincunt fugantque, tandem & fugientem scelestum confodiunt.

8. Hoc crudelitatis ministro amisso *Drahomira*, in rabiem quasi acta est: atque cùm Christianos Pragæ perdere non posset, ad Templa eorum evertenda (quorum nonnisi duo adhucdum erant, & in altero mariti sui Sepulchrum) animum appulit, succendique jussit.

CAP

CAP. II.

LUDOMILLA *Martyr.*

ITa sæviente in Christianos *Drahomirâ*, *Wenceslaus* (qui hactenus ne in principatum succederet, ætatis & studiorum excusatione utebatur) hortatu *Ludomillæ* aviæ, Christianorumque Procerum, regimen suscipit: sed cujus tranquillitati ut consuleret, *Boleslao fratri*, *Drahomiraque matri*, Boleslaviam urbem cum toto illo tractu possidendam inhabitandamque, Procerum consensu assignat.

2. Deposuit itaque *Drahomira* regimen, sed non in Christianos odium, sanguinolentasq; machinationes: quæ primùm in sanctissimam matronã *Ludomillam* eruperunt. Cùm enim hanc majore gratiâ apud Vencessaũ, quàm se matrem, pollere, per idque Religionem Christianam nimis provehi videret: quæsivit, donec invenit, cędis perficiendæ idonea instrumenta, quendam *Tuhman* & *Cuman*, primariæ nobilitatis, projectæ audaciæ viros: qui

à *Drahomira* noctu emissi, sanctam viduam in Sacrario orationi intentam inveniunt, irrumpunt, prosternunt, & velo capiti detracto faucibus elisis suffocant.

3. Non defuêre, qui *Venceslaum*, ex cæde aviæ vehementer perturbatum, ad ulciscendum inflammarent: aut si ipse ulcisci nollet, sibi id committi deposcerent. Sed utrosque ille graviter corripuit, quòd aliena à pietate in qualemcunque tandem matrem, aliena quoque à modestia & tolerantia Christiana, suadere auderent: immemores quid ore suo dicat Dominus, *Mea ultio est, ego retribuam.*

CAP. III.

WENCESLAUS, *cum* PODIVINO, *aliisque.*

AT pio in impiam matrem *Venceslao* mala relata est gratia. Illa enim *Boleslao*, suæ superstitionis morumque sequaci, totam subdere cupiens Bohemiam, diffamare Wenceslaum, illique odium conflare, cœpit: quasi

quaſi parum idoneus ad exequendā Principis munia eſſet , quæ exſequi non per ſacra & ceremonias , ſed per arma & acies oporteret. Tandem , cùm & confirmari eum, & nomen ejus ſplendeſcere videret , ſcelerata de eo tollendo non ſolùm agitare, ſed & fratri inſuſurrare, incepit conſilia.

2. Obtulit vero ſe optata illi occaſio , à nato *Boleſlao* infante , cujus luſtrationi ut intereſſe velit *Wenceſlaus* , *Boleſlaviam honorificentiſſimè invitatur.* Quo profectus , à fratre matreque blandis amplexibus & oſculis, lautiſſimoque convivio in multam noctem protracto , exceptus fuit. Wenceſlaus cùm omnia ſuſpecta haberet , quietis loco in templum ſe contulit, ibique ſuſpiriis & precibus transmittere noctem decrevit.

3. In ea autem re occupatum invadit *Boleſlaus* frater , à matre ad ſcelus vigilantiore excitatus. Et primo quidem ab ictu fruſtratur, enſe ſibi de manibus , ob inſperatum ſtuporem , elapſo : mox redeunte animo & furore (quem ſceleris conducti adjuto-

res exſtingui non patiebantur) ictum repetit, & facilè inermem patienterque plagam excipientem fratrem, interficit. Factum Anno 929. die 28. Sept. qui poſt *Wenceſlao* canonizato, nomini ejus conſecratus eſt.

4. Parto ita audaciâ & ſcelere principatu, *Boleſlaus* omnibus Chriſtianis, ac præcipuè Sacerdotibus, quicunque ſponte ſuâ Bohemiâ non excederent, carcerem cædemque denuntiavit. Adjecit mater, ne cæſi terræ mandarentur, ſed eſca canibus avibusque relinquerentur. Quo territi edicto, plurimi hinc inde diffugerunt: multi comprehenſi, & vario mortis genere affecti. Inter præcipuos fuit *Podivinus*, *cubicularius Wenceſlai* (quem chariſſimum intimumque habebat.) *ſuſpendio mulctatus*.

5. At vero cum amplius tot ſuorum mortes & martyria, tot exilia & cruces, ferre non poſſet vindex Dei oculus, horrendum edidit iræ in *Drahomiram* exemplum. Eo enim loci, quo inſepulta adhuc Sacerdotum oſſa jacebant, *terra ſua ſponte dehiſcens vivâ Drahomiram*, unà cum curru & qui ſimul vehe-

vehebantur, *abſorbuit*: qui locus ante arcem Pragenſem adhucdum viſitur.

6. Puniti ſunt & illi divinitus, qui cædis adjutores fuerunt, gladiosque ſtrinxerant. Pars enim eorum mente alienatâ, in rabiemque versâ, præcipites ex alto ſe dabant: quidam in eos gladios, quos adverſum innocentem nudaverant incubuêre. Adhæc, Templi paries, quem propè occiſus fuit *Wenceſlaus*, veluti ſceleris ſempiternus teſtis, nulla ullius opera abſtergi eluíque potuit à cruore quo reſperſus fuerat. Quæ tam varia prodigia *Boleſlaum* exterruerunt, ut mitius cum Chriſtianis ageret.

7. Supervenit etiam cum exercitu, fratricidium & tyrannidem ulturus, *Otho Cæſar*, *Boleſlaumque* obſeſſum eo redegit, ut exules Chriſtianos ab exilio revocare, Templa reſtituere, omnia denique commiſſa piacula omnibus modis expiare, promittere, filiosque Chriſtianis inſtituendos tradere, coactus fuerit. *Cui ſuccedente filio, Boleſlao pio, plenius Chriſtiana effloruit Religio*; Gentiliſmo ſen-

ſim evaneſcente, nec tamen penitus exſtincto.

CAP. IV.

WOYTICHIUS, *alias* ADALBERTUS, *Epiſcopus Pragenſis; cum quinque fratribus germanis, martyres.*

NAm cum *Woytich*, ſecundus Pragenſium Epiſcopus (quondam *Adalberti* Magdeburgenſium Archiepiſcopi tam charus alumnus, ut nomen ejus in ſuum commutaverit, unde hactenus Adalbertum omnes hiſtoriæ vocant) circa annum 970. in convertendis Gentilium reliquiis, emendandisque moribus corruptis, ſeriò laboraret, coorta eſt Ethnicorum furoribus valida ſeditio; quam *Boleſlaus* armis compeſcere, *Woytichius* autem exilio voluntario luere, neceſſe habuit.

2. Romam ergo cum ſe contuliſſet, Pagani in fratres ejus germanos impetu

petu facto, quinque simul numero (*Chobeborium*, *Spitimirum*, *Prebislaum*, *Boritam*, & *Czaslaum*) trucidant, novamque adversus Principem conspirationem ineunt: superantur tamen prælio.

3. *Woytichius* in Hungariam delatus, principem eorum *Stephanum* (paulo post Regem factum) concionibus aliquot ad fidem convertit & baptizat: inde domum reversus, iterum fit exsul, seceditque in Poloniam, gentem illam recens occasione connubii *Dubrawka Boleslai Bohemi filiæ* cum *Miecislao Polonorum Duce*) conversam in fide confirmaturus.

4. Penetrat hinc in Prusiam, ibidemque propè *Fischausium* ab infidelibus spiculis confoditur, & capite truncatur. Qui post, (corpore à Barbaris redempto, & *Gnesnam* Poloniæ, ubi Episcopatum fundaverat, translato) more seculi superstitioso in sanctorum est relatus numerum.

CAP. V.

Primi Veritatis Testes contra Papatum, in Bohemia.

GEntiles hoc modo *superstitione eluctata Bohemia, cum Romanis confl.ctari cœpit.* Cum enim per eadem tempora (quod ex historiis notum) Papa Romanus superbe in cæteras Ecclesias usurpato dominatu, ἐθελοθρησκείας suæ ritus ceremoniasque ubique recipi servarique vellet, factum est ut Bohemis quoque talia, quibus offenderentur piorum animi, obtrusa sint: potissimum autem *sermonis Latini in sacris usus, Sacerdotum cælibatus, & Eucharistiæ* (calicis ademptione) *mutilatio.* De quo, quantum in annalibus nostris consignatum reperimus, huc notare non pigebit: quia hæc prima Bohemorum irritamenta, ac veluti primæ scintillæ, quæ post (Hussi tempore) in apertas eruperunt flammmas, erant.

2. Anno 968. cum *Boleſlaus pius* Epiſcopatum Pragæ fundaret, inque Epiſcopum electus eſſet, atque ab Hattone Moguntino Archiepiſcopo confirmaretur, *Dethmarus Saxo*, Papa Romanus formulam adminiſtrandi Eccleſiam ſubmiſit, mandans expreſſe, ne à ritu ceremoniisque & cantu Romano ullam in partem deflecteret: Bohemis, quod ſibi vernaculæ uſus eriperetur, admodum inique ferentibus. Ideoque cum Epiſcopus *Dethmarus* mox eodem anno exſtinctus fuiſſet, ſucceſſorque *Woytich*, à perſequutionis turbine Romam ſeceſſiſſet, miſſi ſunt Romam ad Pontificem Anno 977. ſacerdotes duo, *Bolehoſt* & *Miſlibor*, cum quatuor aliis (*Krziwano*, *Roſiſlawo*, *Wuymiro* & *Iarek*) cum de reditu Epiſcopi, tum de reddendo ſibi vernaculæ in ſacris uſu, acturi. Quos & impetraſſe quod petebant à Pontifice, miſſamque ab Epiſcopo vernaculam litanearum formam (quæ hactenus exſtat) Annales teſtantur.

3. At cum ſucceſſores, intervenientibus ſubinde Româ inhibitionibus, Vernaculæ uſum iterum collabi

pate-

paterentur, *Wratisslaus* Bohemiæ Dux (qui paulo post ob heroica facinora, & in Imperium Romanum merita, Rex creatus fuit) Romam missis legatis, *à Gregorio VII.* solenniter olim concessæ libertatis confirmationem, petiit. Quid autem obtinuerit, ex Hajecio (scriptore Pontificio) constat; qui rescriptum integrè ponit folio CXXXVI. quod ex Bohemico (Latinum enim non exstat, aut certe nobis visum non est) translatum ita sonat.

Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Wratislao Bohemiæ Duci salutem, Apostolicamque benedictionem. Inter alias petitiones, Celsitudo Tua literis suis à Nobis requirit, ut juxta consuetudinem linguæ Slavonicæ apud Vos cultum divinum fieri permitteremus. Scito igitur, dilecte fili, nos nullo modo petitioni Tuæ locum dare posse Sæpè enim meditantes Scripturam sacram, comperimus, omnipotenti Deo placuisse, & placere, cultum sacrum lingua arcana peragi, ne à quibusvis promiscue, præsertim rudioribus, intelligatur. Nam si communiter & palam ab omnibus decantaretur, facile in contem-

ptum

ptum & fastidium deveniret, aut si ab aliquibus med.is hominibus non posset intelligi, per crebram ejus iterationem neque tamen intellectionem, facile errores quivis possent suppullulare, quos è cordibus hominum evellere difficile foret. Neque prætendi potest, indultum aliquando fuisse aliquid simplicioribus, præsertim recens conversis. Verum est concessas fuisse in primitiva Ecclesia, ad desideria sinceri simplicisque populi, indulgentias: sed quoniam compertum est, multa mala, etiam hæreses, exinde ortas, nunc stabilito ordine Christiano, connivere amplius non convenit. Concedi igitur non potest, quod populus vester imperitè flagitat, illudque nos potestate Dei & beatissimi Petri inhibemus: Teque per honorem omnipotentis Dei hortantes, ut ejusmodi vanæ temeritati omnibus modis obsistas. Tibi mandamus. Datæ Romæ &c. Anno 1079.

4. En dignum patella operculum! Gregorium enim hunc (aliâs *Hildebrandum*) hominem impium, magum, bellorumque Europæ facem funestam fuisse, norunt historiæ. Ab illo igitur veri sanctique aliquid sperari poterat? Sed tempus fuit puniendæ mundi in-

grati-

gratitudinis : *quo immitteretur mundo errorum efficacia* &c. (ut prædixerat Apoſtolus 2. Theſſ. 2.) Atque ſic de ingruentium tenebrarum caligine ipſam quoque nuper converſam Bohemiam participare, & magis magisque Antichriſtianis vinculis conſtringi, neceſſe fuit. *Nunquam tamen, niſi reluctans & coacta, abominationum quidquam (quantum quidem per tenebras illas animadvertere illi licuit) admiſit Bohemia. Vnde factum, ut præ cæteris Hæreticorum nomen largiter Bohemis jam ab antiquo tribueret Roma.*

5. Cum Anno 1197. *à Papa Cœleſtino Petrus Cardinalis à Lata via* Pragã miſſus, Cœlibatum urgeret, ordinandisque ad ſacerdotium divortia injungeret, à Sacerdotibus & Prælatis tantum non lapidibus obrutus legitur. (Hajec. folio CCXII.)

6. Circa annum 1350. regnante Carolo IV. (Romanorum quoque Imperatore) *ſub Archiepiſcopo primo, (Erneſto de Bardubitz) ſacrilega Euchariſtiæ ſub una adminiſtratio in Bohemia primum audita & viſa eſt* : eam potiſſimum Italis & Gallis, Germanisque,

que, Theologis & Magiſtris, quos *Carolus* ad recens fundatam Pragæ Academiam Profeſſores exciverat, ſuadentibus, ſtudioſisque exteris, qui magnis agminibus confluxerant, complures in exemplum trahentibus.

7. Nutare inter has factiones Bohemorum quidam, Ritumque alibi receptum recipi oportere, Sacramentum ſub utraque ſpecie non facilè, multominus quotidie, diſtribuendum, idque nonniſi peculiari Archiepiſcopi indultu, diſputare cœperunt.

CAP. VI.

JOHANNES MILICIUS, & CONRADUS STIEKNA.

INvaleſcentibus his clamoribus oppoſuit ſe primus, quà voce quà ſcripto, Vir illuſtri proſapia orinundus, & fervidi ſpiritus, *Magiſter Iohannes Milicius*, Canonicus Pragenſis: (cujus etiam *Catalogus Teſtium veritatis* mentionem facit.)

facit.) Cum enim ob rariorem eruditionem, vitæque ſanctimoniam, in cathedrali Arcis Templo concionatorio munere eſſet præfectus, magnumque Auditorum concurſum haberet, populum ad crebram ſub utraq; communionem hortari, multa de ſpirituali deſolatione queri, multos abuſus & abominationes taxare, aggreſſus eſt: pia opera fidi Collegæ, *Conradi Stiekna*, viri imprimis eruditi & facundi, multùm adjutus.

2. Effecerunt hi fervidis concionibus ſuis, inter alia, ut Lupanar Pragæ famoſum, *Venetia* dictum, everſum, in eoque loco Templum *Mariæ Magdalenæ* exſtructum fuerit: quod ſpiritualis lupanaris jamjam diruendi, præludium forſan fuit.

3. Reliquit autem *Milicius* de ſe ſcriptum ipſemet (quædam enim ejus ſcripta hactenus aſſervantur) ſtimulatum ſe conſcientia fuiſſe, Romam iret, Antichriſtumque magnum veniſſe & regnare, teſtaretur. Oraſſe Deum cum jejunio, & lacrymis, nî cognitiones hæ ab ejus inſtinctu eſſent, liberare ſe ab iis vellet. Sed cum nul-
lam

lam intra se reperisset quietem, abiisse Romam, aliquotque Cardinalium foribus adscripsisse, *Antichristus jam venit, & in Ecclesia sedet*: in colloquiisque cum diversis asseverasse idem.

4. Exstat Bulla *Gregorij* XI. qua *Milicius* cum Auditoribus anathemate devovendus Archiepiscopo traditur. Is igitur carceri eum impingit: tandem tamen (forsan populi metu) dimittit, Anno 1366. *Milicius* itaque in odio Antichristi perseverans octennio adhuc superfuit: quippe qui Anno demum 1374. 4. Nonas Febr. placide vitam finijt: quinquennio post Collegæ *Stiekna* beatum exitum.

CAP. VII.

MATTHIAS JANOVIUS, *aliâs Parisiensis*.

SUccessit Milicio *Matthias Ianovius Pragensis*, (vulgo *Parisiensis* dictus, eò quod Lutetiæ Parisiorum novem annos

annos ſtudiorum cauſa exegiſſet) Caroli IV. Confeſſarius, vel prædeceſſoribus in propugnanda ſub utraque communione fervidior, animoſiorque. Scripſit multa: ut *de Vita Chriſtiana: de Hypocriſi: de Antichriſto: de crebra communione ſacramenti corporis & ſanguinis Chriſti.* In quo libello ſub finem ſic legitur: *Explicit opus M. Matthiæ Pariſienſis, mira devotione inſigniti: qui, propter prædicationem aſſiduam multam paſſus eſt perſequutionem: & hoc propter veritatem Euangelicam.*

2. Carolum autem ad Cæſaream dignitatem evectum ſcribunt Pariſienſem cum aliis aliquot viris doctis adiiſſe, & de *convocando Oecumenico Concilio, propter Eccleſiæ reformationem, rogaſſe.* Reſpondit vero Cæſar, non id ſuæ eſſe poteſtatis, ſed ad ſanctiſſimum Patrem, Pontificem Romanum pertinere: ſcripturum ſe igitur eo nomine, petiturumque Concilium. Quod poſtquam feciſſet, Papam irritatum de coercendis temerarijs illis hæreticisque hominibus adeo importune inſtitiſſe, ut Carolus, Pontificis authoritate dementatus, quam-

quamvis Parisiensem amaret, excedere tamen Regno juberet. Qui post reversus quidem, sed privatim reliquum vitæ exegit, mortuus Anno 1394. 30. Novembr. Mentionem ipsius quoque vide in *Catalogo Test. Verit.*

3. *Ianovio* autem *pulso, adversarij non in Arcis Templo solum, sed ubique Pragæ, perque totum Regnum, Communionem sub utraque inhibuerunt, aboleveruntque:* ut nonnisi in privatis domibus, tandemque in sylvis & latebris, qui constantiores erant, ritu consueto sacramentum peragerent: at non absque vitæ discrimine persequutionibusque. In viis enim invadebantur, spoliabantur, cædebantur, fluminibus mergebantur: ut tandem armatos, & agminibus validis, coire necessum foret. Quod hinc inde ad Hussi usque tempora duravit.

4. *Extortum etiam fuit à Carolo* (quamvis Hajecius ultro Prælatis oblatum dicat) *diploma, quo in omnes à Fide & Ritibus Romanæ Ecclesiæ discedentes inquisitio instituitur, suppliciumque ignis statuitur.* Exstat apud Hajekum

folio CCCXLIX. integre: promulgatum Anno 1376. 18. Septembr. Cujus potissimus effectus hic fuit, ut sedulo posthac data fuerit opera, ne quisquam nisi sedis Romanæ mancipium ad Magistratus publicaque officia admitteretur, quo frenum esset coercendæ plebi. Ideoque *Wenceslaus Rex* (Caroli filius) Pragæ Senatus reformando in singulis Urbibus 16. Germanos & duos tantummodo Bohemos, legit: Germanos nimirum constantiores in Pontificia Religione (id quod erant) existimans.

5. Reperimus quoque consignatum, Parisiensem morti vicinum amicis inter alia hoc solatii dixisse: *Prævaluit nunc adversus nos Veritatis hostium furor; sed non perpetuum id erit. Exsurget enim populus ignobilis, sine gladio & potentia, cui prævalere non poterunt.* Quod vaticinium ubi & quando impletum fuerit, post monebimus.

CAP

CAP. VIII.

JOHANES HUS, & HIERONYMUS PRAGENSIS; *cum aliis aliquot Martyribus.*

ANno 1392. fundatum fuit à Cive quodam Pragensi, *Mulhaymio*, Academiæ dedicandum Sacelli nomine justæ capacitatis *Templum Bethlem* dictum: in quod primus prædicator introductus fuit, *M. Stephanus de Colonia*: huic autem Anno 1400. demortuo, successor datus *M. Iohannes Hus* Academiæ Professor, vir inculpatæ vitæ, zeloque insignis.

2. Hic cùm jampridem omnes Ordines dissolutos esse, neminemque officium facere, Regem, Episcopum, Civem, Clerum, Nobilem, tantũ avaritiam, superbiam, ebrietatẽ, luxum, & pessima quæq; sectari animadverteret: tanquam divinitus datâ sibi occasione, publica illa peccata publicè oppugnare aggressus est. Et quamdiu quidem in seculares tela vibrabat, tam

diu à Theologis magni habitus fuit, tanquam è cujus ore Spiritus S. loqueretur: ut verò in eos ipsos quoque detonare cæpit, mox animis mutatis, furere eum, & à Diabolo agitari, clamabant.

3. Primas de eo querelas scribunt à Magnatum quibusdam ad Regem (Wenceslaum illum, quem Papa, bullas suas per Bohemiam exsequi nolentem, & hæreticos ultrà voluntatem suam tolerantem, Germaniæ Principibus ut ignavum & Imperio inutilem exosum, historiis autem tantùm non infamem, reddidit) delatas fuisse, postulatumque illi turbulentis ejusmodi concionibus interdici. Sed Archiepiscopus (*Wolbram*) id fieri posse negavit, *quoniam Hussus ad vera loquendum, sine personarum respectu, sese in Ordinatione sua juramento obstrinxisset.*

4. Cùm autem anno sequente idem *Hussus* spiritualiũ avaritiam, luxum, sacrilegiaq; multò acrius fuisset adortus, & Archiepiscopus à Rege idem quod antea Magnates, peteret, respondit Rex: *Fieri id non posse, Hussũ enim ad vera loquendum sine personarum respectu juramen-*

men

mento obstrictum esse. Ita nimirum Deo ipso molitiones adversus Virum sanctum, tanquam futurum organon suum, jam tum dissipante.

5. Redierat eodem anno (1400.) ex Anglia *Hieronymus Pragensis*, Wiclefi scripta secum ferens, quæ in complurium venerunt manus, variisq; excepta sunt judiciis; aliis quidem ea approbantibus (inter quos vel præcipuus fuit *Hussus*) aliis improbantibus damnantibusque, præsertim Academicis; quos ex variis gentibus confluxisse, paulò antè dictum est.

6. Anno 1404. *duo Angli, Theologiæ Baccalaurei* (*Iacobus* quidam, & *Conradus Candelburgius*) Pragam venerunt, iboque Academiæ inscripti, publicè controversias de Papæ primatu, similibusque, movere cæperunt: paulò post tamen publico interdicto id facere prohibiti. Illi igitur, ut quod hominibus non licebat, liceret parietibus, in cænaculo habitationis suæ, hospite consentiente, depingi curant, altera quidem parte passionis Christi historiam, ex opposito autẽ pompam aulæ Papalis Cardinaliumq;. Cujus picturæ

cum Iohannes *Hus*, in Concionibus faceret mentionem, tanquā veræ Christi & Antichristi Antitheseos, confluebat eò subinde populus, spectandi causâ.

7. Anno 1408. 24. Maji, à 40. *Magistris, infinitoque Baccalaureorum numero, Wiclefi articuli denuò examinati & condemnati sunt*; interdictumque sub bannizationis pœna, ne quisquam eos docere præsumeret. *Iohannes Hus*, cùm Academicos Germanos tanto conatu Papæ partes propugnare videret, ad retundendam istorum insolentiam aliquid tentandum ratus, peroravit in magna utriusque Gentis frequentia (in Carolino Collegio) *Bohemis, ut indigenis, debere votorum pluralitatem, non Germanis, ut extraneis.* Etsi enim Carolus ab institutione Gymnasij exteris tres voces in ferendis suffragiis, Bohemis quartam concessisset: id tamen ob paucitatem tunc Bohemorum, qui literis operam darent, factum esse: postremo autem diplomate satis eum mentem explicasse suam, nempe *ut more Parisiensis Academiæ servaretur*. Iam autem constare satis, in Gallia extraneos

suffr.

ıffragio ſimplici, domeſticos triplici
erfungi.
8. Irati ob hoc Germani ad Regem
Venceſlaum provocant, faciuntque
iem Bohemi. Sed Rex cauſæ deci-
one ultra annum protractâ, tandem
o *Bohemis enuntiat*, Anno 1409. 27.
ept. Quâ ignominiâ (ut interpre-
bantur) affecti Germani, Pragam
eſerunt, & in vicinam Miſniam de-
ti, Lipſienſi Erphordienſique Scho-
s fundandis dant occaſionem: Bohe-
is interim per vota *M. Ioh. Huſſum*
ectorem creantibus.
9. Monachi hoc modo à Rege &
cademia deſerti, Archiepiſcopum
Sbinconem de Haſenburk, ἀναλφάβητον
ominem) inſtigant, obtinentque,
(Anno 1410. 16. Iulii) *Iohannis*
Vicleſi libri denuò condemnati, igni-
ue addicti fuerint. Exuſta igitur ſunt
Æneâ Sylvio teſte) ſupra ducen-
a volumina, pulcherrimè conſcri-
ta, bullis aureis tegumentisque pre-
oſis ornata. Exſtant Bohemici
ythmi tunc à quodam è plebe com-
oſiti, quibus Alphabetarius ille (nam
teras demum Archiepiſcopus fa-

ctus discebat) Librorum censor falsè perstringitur. *Hussus* verò eo tempore & tractatum scripsit, *de libri Hæreticorum legendis*; & actum instituit singularem *pro defensione Ioh. Wicle de Trinitate sancta*, quem & ipsum combusserant.

10. Anno 1411. cum *Papa Iohannes XXIII.* contra Neapolitanum Regem classicum canens, indulgentias iis, qui pro Ecclesia arma induerent distribueret, quidamque ejusmodi nugivendulus Pragam appulisset publiceque de cathedris *Cruciata* ill promulgaretur, factum est, ut tribu in Templis reperti sint qui palam obloquerentur; asseverantes *Papam Romanum Antichristum esse oportere, qui adversus Christianos crucē decernat, & in mutua bella concitet.* Comprehensi tres ill (*Martinus Krzidelko*, *Iohannes Hudec* & *Stanislaus Polak* sutor) in carceren ducuntur: pro quibus utut Academia populusque intercederet, producti tamen in forum & præcipitato processu gladio percussi sunt. Quod ut percrebuit, accurrentes Academici corpora sustulerunt, solenni-
que

ue processione cantantes : *Isti sunt*
ancti qui pro Testamento Dei sua corpo-
a tradiderunt) ad Templum Bethle-
iemiticum transtulerunt , sepelive-
untque.

11. Postridie *Hussus* adversus super-
titiosas illas Indulgentias Theses ad
lisputandum proposuit , publicéque
um *M. Hieronymo* (qui tam strenuè
n Schola, quam Hussus in Ecclesia,
rrores impugnabat) illarum vani-
atem ostendit. Cum vero iste nihi-
ominus impudenter pergeret, Stu-
iiosorum cohors impetu facto bullas
ei eripiunt, quendamque è medio
ui meretricio habitu indutum car-
ro imponunt , bullis pectora exor-
ornant, circumvehunt, acclamant;
Meretrice interim blandissimis verbis
& gestibus circumfusam turbam si-
bi alliciente , benedictionesque di-
stribuente : tandem in medio foro
bullas omnes, cum multis Papalibus
& Prælatorum literis, comburunt.

12. Interim *Papa Hussum Romam citat* : qui cum (dissuadente A-
cademia Proceribusque) non com-
pareret, Papa (*Iohannes XXIII.*) An-

no 1413. in Iunio, *interdictum mittitur de non celebranda Pragæ missa ob præsentiam contumacis prævaricatoris, Hussi.* Ibi Magiſtratus furere, vulgus in contraria ſtudia ſcindi, omnia æſtuare turbarique, ut *Hussus* videt, *Praga ultro excedit*, oppidatimque Verbum Dei docet, uſque ad tempus quo Conſtantiam reddendæ de doctrina ſua rationis cauſa evocatur, Cæſareis de ſalvo conductu literis munitus. Ubi qualiter à Romanæ Synagogæ Conciliabulo exceptus tractatusque fuerit, jam norunt hiſtoriæ: nempe quod Anno 1415. 6. Iulij Huſſus, Hieronymus vero 1416. Maji 30. combuſti ſint, &c. Videantur *Martyrologia.*

CAP. IX.

Bohemia tota condemnata.

NOn exſaturati horum ſanguine adverſarij, mox de tota delenda Gente, ſanguinolenta agitarunt conſilia. Cum enim primarij Bohemiæ Proceres (numero LVIII, totius

us communitatis nomine) literas suis
bscriptas manibus & firmatas si-
illis; ad Concilium dedissent, que-
entes & expostulantes, *Pastorem su-*
m, Virum innocentem, pium, sanctum,
delemque veritatis doctorem, injuste con-
mnatum esse: (dabantur 1416. 2.
eptemb. Pragæ) Synodus illis non
espondit: sicut nec Moraviæ Proce-
bus, peculiaribus literis similia que-
is. Sed ad alios, quos Romanis su-
erstitionibus adhuc dementatos, in-
ue præeminentia constitutos scie-
ant (nominatim, *Iohannem de Mi-*
elsberga, Alsaum Skopek de Dubba,
*lbertum de Koldit*z, &c.) scripserunt
oncilii Patres: orantes & obtestan-
es, haberent sibi Romano-Catholi-
am Ecclesiam commendatam. Con-
liique legato, *Iohanni Litomysleno*
piscopo, in opprimenda hæresi hære-
cisque, adjutores essent. Datæ erant
onstantiæ Anno 1417. 22. *Martij.*

2. Ita Bohemis à Concilio in dissi-
ia mutua armatis, contentiones, ri-
æ, odiaque exacuebantur in dies
agis magisque. Promulgabant sacri-
culi è cathedris in *Hussitas* excommu-

nicationem, eosdemque diris devovebant: utque omni ratione exosos redderent, mendacibus quibusdam signis usi sunt. Inter alia, oblinebant cereorum elychnia luto, cumque flamma eousque ceram depascens luti humiditate exstingueretur; clamitabant in mediis illis exsecrationibus miraculis ecce ostendere Deum teterrimos illos hæreticos qui luce fruantur indignos esse. Pellebant itaque eosdem communitatibus, & perseque bantur omnimodo: etiam Templa per vim eripientes, ubicunque poterant. Quæ res anno 1419. 30. Julii Pragæ tantum dedit tumultum, ut concitata plebe XII. antiquæ Pragæ Senatores, cum Prætore civico per fenestras prætoriæ domus præcipitati, hastarumque cuspidibus excepti, fuerint.

3. Electus à Synodo novus Pontifex (*Martinus V.*) blandis quidem Constantia (1418.) datis literis, *Bohemos ad renunciandum Wicleficis Hussiticisque erroribus invitabat: post tamen (1420.) Excommunicatione adversus eosdem Florentiæ publicata, Cæsarem, Re-*

ge-

es, Principes, Duces, Marchiones, Co-ites, Barones, Præfectos, Civitates & Reſpublicas, ad arma contra eosdem invi-ans & incitans, per vulnera Chriſti, per-ue ſalutem cujusque orabat, vellent vi-ibus conjunctis eos aggredi, ſacrilegamque & maledictam gentem exterminare peni-us; ubi & ſceleſtiſſimo cuique, qui nodo vel unum Bohemum occidiſſet, omnium peccatorum remiſſio promit-ebatur.

4. Hoc incentivo *Sigiſmundus Cæſar* nflammatus, tota cum Germania vi-cinisque Regnis, Miniſtrum ſe Anti-chriſtianæ tyrannidi præbuit; mox-que eodem anno valido cum exercitu Bohemiam ingreſſus, eam bellis, in decimum tertium annum continuatis, fatigavit. Atque hæc bella Huſſitica di-cta ſunt: de quibus *Æneas Sylvius* ſcri-pſit, *Plus admirationis quam fidei habi-tura apud poſteros:* quia nullo prorſus ſucceſſu ab illorum parte, geſta ſunt, Ziſca Bohemorum duce, & ſucceſſori-bus ejus, ſemper ſuperantibus.

5. Sed & Bohemorum res domi confuſiſſimæ erant, cum quidam a Cæſare & Papa ſtarent, alij Calicem

 (inde

(inde *Calixtini* dicti) defenderent, in mutuas cædes valide inflammati, cum horribili immanitate.

CAP. X.

Martyres Taborenses.

SEd attingenda sunt quædam pressius, locorum personarumq; respectu: ac distinctim explicandum, *quomodo Romana factio Antichristiano illo Martini indultu & classico incitata, prosequuta fuerit fideles.*

2. Cum à *Wenceslai morte* (Anno 1419.) *Sigismundus* Regnum accepisset, perque delegatos (ipse non ingressus fuit, nisi post cum exercitu) varia ordinaret, quæ ad imminuendam Conscientiarum libertatem facerent, confluxerunt puriora dogmata amplectentium aliquot millia in montem saxosū, decimo à Praga lapide, cui nomen indiderunt *Tabor*. Eum montem muro cingentes Rempublicam constituerunt: armis etiam, si opus foret (ut fuit) defendendam.

3. His igitur infensi *Romanenses*, & paulò pòst ipsi quoque *Calixtini*, quaquâ datum est sese opposuerunt, genere persecutionis omnivario adhibito. Et primùm quidem cùm legatos, pacis causâ, Cuttenbergam misissent, *Gallum Perstenum* & *Mathiam Blasium*; hi à Cuttenburgensibus (jam Cæsareanis, & majori ex parte ob Metallifodinarum operas, Germanis) comprehensi in profundissimos metallicos puteos vivi præcipitati sunt. Quod idem paulò pòst *Iohanni Chodek*, Parocho Gurimensi (quæ civitas Cæsareanos quoque admiserat) aliisque multis, tam sacerdotibus quàm laicis, contigit. *Coemebant enim Taboritas, pro Sacerdote florenos quinque solventes, pro laico unum; quod horrendæ laniena causa fuit.*

4. In quodam enim manuscripto exemplari repertum esse, quod sequitur, testis est *Thermenus*. *Anno* 1420. *conjecti sunt Cuttenbergæ in primam fodinam circiter mille septingenti: in secundam mille trecenti, & octo: in tertiam mille trecenti & triginta quatuor:* Ideò pòst quotannis (18. Aprilis) ad

ad eundem locum (ubi & Templum erectum hactenus exſtat) ſolennis conventus, inque Martyrum memoriam conciones, haberi conſueverant, uſque ad Annum 1613. quô rei monetariæ ſummus præfectus (*Wreſowetz*) id inhibere, ſed fruſtra, tentabat: invaleſcenteque demum perſequutione, Anno 1621. id ceſſavit.

CAP. XI.

JOHANNES KRASA.

MErcator hic Pragenſis erat primarius, qui cum commerciorum causâ Wratiſlaviam Sileſiæ (ubi tunc Imperator *Sigiſmundus Papæque legatus, Fernandus*, de bello contra Bohemos deliberaturi, convenerant) veniſſet, & in diverſorio (occaſione datâ) pro innocentia Huſſi injuſtè condemnati, Euchariſtiæque ſub utraque communione, liberius diſſeruiſſet, captus, & in carcerem detruſus fuit.

2. Poſtridie in eundem carcerem conjiciebatur *Nicolaus de Bethlehem*, ſtudi-

ſtudioſus, à Pragenſibus ad Cæſarem Wratiſlaviam miſſus; per quem illi animos ſic profitebantur ſuos, *ſi Calicem permittere vellet, eum ſe Regem agnituros*: Cæſar autem in ipſum tabellarium deſæviit.

3. Hunc ad ſe adductum *Kraſa* piis alloquiis egregiè animabat, ſibi eum martyrij conſortem dari gratulans. *Mi frater, Nicolae*, inquit, *quantæ hæc gloria eſt, quod ad Teſtimonium Domino I E S V perhibendum vocemur! Subeamus alacres tantillum moleſtiæ! Certamen breve eſt, præmium æternum: Recordemur Domini, quàm acerbam is pro nobis ſuſtinuerit mortem, quàm innocenti ſanguine redempti ſimus! & quos non cruciatus Martyres & Virgines perpeſſi ſunt?* His & ſimilibus eum exhortari non deſtitit. At *Nicolus*, cùm ad ſupplicium producerentur, & funes quibus per urbis plateas equo raptandus fuit, pedibus alligarentur, mortis horrore correptus, & ab adſtante *Fernando* vitæ ſpe oblatâ, ceſſit, atque Huſſiticos errores (ut vocari cœperant) revocavit.

4. *Krasa* ad Legati persuasiones ut rupes immotus, *Frustrà id à me exspectatis*, respondit. Raptatus igitur lentè per plateas, insequente ubique Legato, & sæpius inclamante (etiam Carnifice subsistere jusso) *Misereſcat te tui, recede ab erroribus, quos temerè sparserunt Bohemi.* Sed respondit; *Pro Euangelio Domini I E S V, mori paratus sum.* Ita semivivus ad supplicij locum pertractus, exustus est. Factum Anno 1420. 14. Martij, moxque sequente Dominicâ lætare (17. Martij) Legatus factam à Martino P.P. Excommunicationem Bohemorum, cum Cruciata, Templorum valvis affigi, & ex suggestibus promulgari jussit.

CAP. XII.

Martyres Litomericeni.

Consul Civitatis Litomericij, *Pichel*, homo crudelis & fraudulentus, unâ nocte 24. primores cives

(inque-

inque illis generum suum) compre-
hensos, in profundissimam turrim (ad
Michaëlis portam) conjecit: eos-
que fame & frigore semienectos tan-
dem (communicato cum Sigismundi
quibusdã præfectis consilio, armataq;
vi stirpatus) extrahi, sententiam mortis
pronuntiari, quadrupedes constringi,
curribus imponi, & ad ripas Albis,
flumine mergendos, devehi jubet.

2. Fit populi concursus, uxoribus,
liberis, agnatis amicisque, in lacry-
mas ejulatusque datis. Accedit & Con-
sulis unigenita filia, collisisque mani-
bus ad genua parentis sese provolvit,
vitam mariti saltem deprecans. Sed sa-
xo durior pater, Mittere lacrymas ju-
bet: nescire enim quid petat. *Quid e-
nim*, inquit, *annon tibi dignior contingere
potest maritus*? Illa ut inexorabilem vi-
det his verbis, surgit: *Non tu me porrò
elocabis pater*: plangensque pectora &
capillos spargens, cum reliquis mari-
tum prosequitur.

3. Delati martyres ad Albis ri-
pam, deturbantur è curribus; dum-
que pontones (nondum enim ponte
Albis stratus erat, uti nunc) paran-
tur,

tur, illi elevatis ſimul vocibus cœlum terramque innocentiæ ſuæ teſtes invocant, uxoribus, liberis, amicis, extremum Vale dicunt, ad conſtantiam zelumque, Verbo potiùs Dei, quàm humanis figmentis adhærendi, cohortantur: tandem pro hoſtibus etiam orant, animasque Deo commendant. Tum pontonibus impoſiti, & in altum promoti, ut manibus ad pedum extrema erant alligati, in profluentem deturbantur, merguntuque. Circumſtabant ripas carnifices cum ferratis furcatisque contis, ne ullus eorum ripæ advolvi liberarique poſſet, præcaventes; advolutosque, quamvis ſemimortuos, confodientes, & in altum própellentes.

4. Conſulis filia, ut maritum ſuum oculis deſignaverat, inſiliit in flumen, complexumque medium undis eripere laborabat. Quia verò neque illa ob profunditatem vadare, nec ille ſolvi potuit, & jã hauſtâ aquâ deorſum ferebatur, factũ eſt ut ſubmerſus uterq; poſterâ die ita ut ſeſe complexi erant, extracti, & ſepulchro illati fuerint. Factum 30. Maji, anno 1421.

5. Hi-

5. Historia hæc paulò post in Templo Litomericeno (*Omnium sanctorum*) ad æternam rei memoriam aureis literis descripta, itemque pro porta à D. *Michaële* cognominata in tabula pendenti visebatur: demumque nuper (Anno 1623. 8. Iulii) mandato *Georgii Michnæ*, Commissarij Reformationis erasa est.

CAP. XIII. WENCESLAUS ARNOSTOVICIUS *Pastor, cum aliis octo exustus*, CONRADUS *Archiepiscopus Pragensis conversus.*

EOdem anno, cum *Albertus Austriacus* auxilia *Sigismundo* socero Pragam versus mitteret, equites ejus in pago *Arnostowitz* (propè *Miliczinum*) Parochum ejus loci, *Wenceslaum*, Deo & hominibus charum, cùm Capellano suo, tribus rusticis, & pueris quatuor, quorum maximus natu undecim annorum

rum fuit, (illos quidem quòd administrassent sub utraque, hos quod communicassent) captas *Bystricium*(ubi castra erant) ad militiæ præfectum deduxerunt; qui eos ad Episcopum suum transmisit. Episcopus abjurare Parochum communionem sub utraque jussit, aut igne luiturum temeritatem. Qui animose, *Atqui sic Euangelium docet*, respondit; *sic & Missalia vestra habent. Aut igitur hoc rectum est, aut delete Scripturam.* Hoc liberiore responso irritatis adstantibus, miles quidam ferreâ chirothecâ faciem ejus percussit, ut sanguis naribus & ore proflueret. Remisit eum igitur Episcopus Præfecto, & Præfectus iterum Episcopo: cumque totam noctem ludibrio fuisset, manè (*die Solis*) *producti sunt omnes, & rogo ita impositi, ut pusilli athletæ illi, Wenceslao in gremium dati fuerint.* Cumque adhuc Episcopus, ut Calicem adjurarent, moneret, respondit pro se & suis fidus Pastor: *Absit id à nobis! Centum subire mortes, quam Veritatem tam clare in Euangelio patefactam abnegare, malumus.* Mox carnifex pyram succendere jussus,
eos

eos ut victimam Deo gratam cum flamma sursum misit, Pastore ultimò post omnes spiritum reddente. Factum Anno 1420. VII. Iulii.

2. Quâ ipsâ die Pragensis Archiepiscopus *Conradus*, crudelitatibus istis offensus, & agnitâ causæ Papalis iniquitate, postquam se *sub Vtraque* declarasset, officium deposuit, arma induit, & Pragensibus in militiæ Ducem adversus Pontificios se dedit: electis in Consistorii interim Administratores quatuor Parochis Pragensibus, *M. Iohanne Przibramo, M. Procopio Pilseno, M. Iacobello, & Iohanne Zeliwio. Atque hoc erat initium Constorii sub utraque: quod Sigismundus post Archiepiscopatum restaurans, Ordinibus permisit, & jurametno confirmavit.*

3. Hostes nihilominus sævire varieque tumultuari perrexerunt: Quorum de hoc anno unum heroicum facinus hîc memorare lubet. XXVI. Decembris eodem Anno *Hinco Czerwenohorsky*, Iaro-

Iaromerienſis Capitaneus, in Templum pagi *Kerczin*, cum ſacra peragerentur factâ irruptione, alios quidem trucidavit, alios abduxit captivos. Inter facinora hoc fuit non poſtremum, quod *arrepto ab Altari Calice vini pleno, equo ſuo propinavit, epotareque paſſus, caballum ſuum ſub utraque eſſe dictitabat.*

CAP. XIV.

WENCESLAUS SWETS: MARTINUS LOQUIS: PROCOPIUS IEDNOOKY: *alii.*

ANno 1421. 23. Iulii exuſtus eſt Pragæ, dolio incluſus ſutor quidam *Wenceſlaus*. Crimini ei datum, quòd Monſtrantiæ aſſurgere nolens, quinimò terga obvertens, Sacramentum dehoneſtaſſet.

2. Captus quoque fuit eodem anno, 26. Febr. *Martinus Loquis: accuſatus quod Waldenſium de Sacramento errores introduceret, adeoque panem Cœnæ, &*

calicem

alicem in manus communicantium danda ße, horrenda profanatione doceret. Sed Taborensium intercessione è vinculis iberatus,ut invidiæ & furori cederet, ssumpto altero ministro, *Procopio Iedookii*, in Moraviam se conferre stauit. Cùm verò *Chrudimam* transirent, gniti,ab urbis Capitaneo *Dionysio* capti, pedicis constricti, & quid de Saramento Altaris sentirent, examinai, Martinus respondit: *Corpus Christi n cœlis est: unum enim habuit, non plura.* Capitaneus blasphemiam tantam (scicet) non ferens, colaphum illi impeit, carnificemq; qui hæreticum flamnis mox injiceret adesse jussit. Sed derat *Ambrosius Hradecensis Pastor*, qui lonari sibi eos postulans, Hradecium ranslatos per quindecim dies captios habuit, variè, ut agnoscerent & reocarent errores, annisus. Ut autem pinione constantiores reperit, *Raudiciam* transmisit: ubi carceri tenebrioso impacti, per menses duos (aditu iemini de plebe concesso) detenti & ariè excarnificati sunt. Nam & igne uerunt, usque ad viscerum profluenam, usti, ut faterentur, unde tantos hau-

hausissent errores, & quosnam Pragæ complices haberent? quemadmodum & edere quorundam nomina coacti fuerunt. Admoniti, ut ab errore in veritatis viam redirent, subridentes respondebant: *Non nobis, sed vobis, de reditu cogitandum est: à verbo enim Dei ad imposturas Antichristi seducti estis, & creaturam pro Creatore adoratis.* Ad ignis igitur supplicium ducti, cùm à Sacrificulis, ut à populo pro se preces peterent admonerentur, responderunt: *Nos illis precibus non indigemus. Orate autem ô Christiani pro vobis, & illis qui vos seducunt, ut utrisque è tenebris eniti det benignissimus Pater.* Ad locum supplicii deducti, dolio simul inclusi, atque ita combusti sunt. Factum 21. Augusti, Anno 1421.

3. Paulò pòst Pragæ capiebantur eidem sententiæ addicti homines aliquot: nempe *Pastores tres. Casca* civis, & *Georgius de Klatow*, item *Abrahamus quidam, quod faces ante Sacramentum* accendi vetaret.

CAP. XV.

JOHANNES ZELIVEUS.

MOnachus Præmonstratensis fuit, ad Mariam niveam Neo-Pragæ Pastor, *unus è designatis Consistorii Administratoribus*, non tam eruditione quàm eloquentiâ insignis. Hic cum frequentissimum haberet auditorium, *uriora Taboritarum propugnabat dogmata*, authorque fuit Pragensibus Senatum reformandi. Sed Capitaneus Palæo-Pragensis *Haschek de Welisch* (quem sæpius increpaverat) cum Senatu semi-Pontificio factâ conspiratione, eundem *Iohannem de Zelivo* cum duodecim aliis in domum Prætoriam illectos, (Anno 1422. Martii 9.) præcipiti processu capitibus truncarunt: quæ es ut ex profluente sanguine innotuit, ingentem dedit tumultum. Concurrit enim populus illico, & effractis foribus, ut obtruncatos repererunt, quidam caput Monachi protulit, &

multitudini ad Curiam circumfusæ o-
stendit, tantumque ejulatum ac rugi-
tum excitavit, quem nullus calamus
exprimere posset.

2. Mox idem caput *Gaudentius* qui-
dam Sacerdos, patinæ impositum,
per urbem circumgestans obvios
quosque ad ultionem proritavit. Quâ
ratione in furorem pertractâ multitu-
dine, occisi sunt aliqui Senatorum,
alii fugâ elapsi: Collegia item Aca-
demica direpta. Corpora deinde Tem-
plo illata, solenniter sunt sepulta:
ubi Concionator audito populi fletu,
adeoque consternatum videns ut non-
nulli deliquia passi foras efferrentur,
primùm & ipse obmutuit. Resumpto
tamen spiritu, ex Actis illud, *Et se-
peliverunt Stephanum viri honesti*, ex-
plicavit: sub concionis finem mul-
tis verbis, multisque lacrymis & ob-
testationibus, etiam caput *Zelive.*
populo exhibens, ut eorum, quæ
à fido didicissent Præceptore, me-
mores, etiamsi Angelus de cœlo con-
trarium nunciaret, fidem ne habe-
rent, fervidissimè cohortatus.

CAP. XVI.

Martyria sub Pseudo-Hussitis.

AD *Schisma eorum qui Hussi profitebantur nomen, veniendum*: quomo-
o illorum quoque potior pars dege-
erârit, verosque fideles persequuta
erit. Inerat omnibus Antichristi
ppugnandi, Magistri Hussi exemplo,
dor: sed cùm ab ejus morte insigni
iquo prudenti & animoso duce qui
ncitatam plebem ordine aliquo cer-
continerent, destituerentur: factum
t ut in contraria abierint studia, a-
ocesque inter seipsos concitarent
ssensiones. Vulgus enim plebis &
ri, in solum Calicem intenti (inde
lixtini dicti) reliqua M. Hussi do-
nata securè negligere; Taboritæ ve-
(inter quos eminebat *Wenceslaus Co-
nda*, & *Nicolaus Episcopius*, Viri ex-
llentes) cum aliis paucis, puritatem
simplicitatem in omnibus Articulis
ceremoniis urgere, cæperunt. Cla-
abãt illi, ab Ecclesiæ ritibus in omni-

bus secundum non esse : clamabant
hi, nullas superstitiones tolerandas
esse. Admiscebant verò se illis perso-
nati quidam, qui Papæ & Cæsaris cau-
sam promoturi, dissensiones & odia
mutua promovebant, & in puriorum
dogmatum sectatores odia plebis con-
citabant, exoso Piccardorum nomine
traducentes. *Piccardos autem nominabant
Waldenses, qui paulo ante ea tempora
Gallia pulsi in Austria consederant, & fœ-
dissimorum Hæreticorum nomine jam inno-
tuerant.* Ita tumultuariè omnia ubique
acta. Zelosus enim ille Zeliveus quo-
modo à Pragensibus capite truncatus
fuerit, paulò ante dictum. Reperti
quoque sunt qui *Ziscam* Taboritarum
Ducem dementarunt, ut Calixtinis ac-
cederet, Piccardosq; dictos ferro & flã-
mâ, æq; ut Pontificios, persequeretur.
2. Anno 1427, ipsi Consistorii Ad-
ministratores Pragæ, *M. Przibram, &
Procopius de Pilsna* (tum Universitatis
Rector) cum M. *Petro de Mladoniowitz*
& Doctore *Krzistano* Medico, ob pu-
riorum dogmatum professionem, pri-
mum carcerati, post in exiliũ acti sunt.
Non mirũ profectò fuisset, si eos tunc
discor-

discordes Pontificia factio extermi-
nasset prorsus. Sed mira Dei bonitas,
quæ humanã stoliditatem tam sapien-
ter tẽperare novit, ut nec hostes, nec a-
mici de seipsis quidquã gloriari habeãt.
Quoties enim domi dissidentibus Bo-
hemis Cęsar cũ exercitibus imminebat,
toties illi pace inter se inita communẽ
causam cõmunibus armis tutati sunt,
Ziscâ & Procopio Taboritarũ ducibus
potissimũ res agẽtibus: Deo autẽ mira-
culosos successus victoriasq; cõcedẽte.
3. Cæsar igitur cũ Pontifice ut armis
nihil profici animadvertunt, ad frau-
des conversi *Basileã* convocato iterum
(Anno 1432) Concilio, Bohemos ad
amicam dissensionis transactionẽ pla-
cidissimẽ invitant, de securitate publi-
ca quoquo modo vellent, satisfacturi.
Missi itaq; ad Concilium sunt Legati:
inter quos præcipuus fuit *Iohannes Ro-
kyzanus* Pragensium, & *Nicolaus Epi-
scopius* Taborensium, Theologi: è
Proceribus verò *Procopius Taborita-
rum dux*, & *Wilhelmus Kostka Baro de
Kostupicz*, &c. Ubi humaniter exce-
pti & de postulatis interrogati, ob-
tulerunt quatuor Articulos, eos sibi

permitti rogantes, aut defensuros esse. Erant autem Articuli ita concepti:

1. *Vt Calicis usus plebi restituatur, & sacra omnia lingua vernaculâ peragantur.*
2. *Clerici ne seculariter regnent.*
3. *Verbum Dei liberè doceatur.*
4. *In peccata publica publicè animadvertatur.*

Interroganti Papæ Legato, An non plura haberent? Narrari enim eos credere *Ordines Monarchorum à Diabolo esse*: Respondit Procopius: *Vnde igitur esse potest id, quod neque à Patriarchis aut Prophetis, neque à Christo & Apostolis, institutum est? &c.*

4. Deputati postea sunt ab utraque parte, qui de propositis Articulis totos quinquaginta dies disputarunt. Cumque confutari non possent Bohemi, ad amicam compositionem ventum est, *omniaque* (*Rokyzano Archiepiscopalis dignitatis spe dementato, reliquosque Legatorum dementante*) *ita transacta, ut Bohemi ad obedientiam sedis Romanæ redire, ejusdemque dogmata & ritus omnes observare polliciti sint:* excepto Calicis usu, qui ipsis permittebatur liber, ut

& alia

t alia illa postulata. Hos quatuor Articulos *Compactata* appellarunt: missique sunt in Bohemiam à Concilio & Cæsare *legati, qui Bohemos in Ecclesiæ gremium esse receptos, charosque haberi filios, declararent.* Ibi convocatis Comitiis, *Rokyzanus* quàm ex voto obtinuissent ea, pro quibus dimicando tantum sanguinis effusum esset, in tantamque vastitatem Regnum devenisset, magnifice exponit: longe aliter nunc de Pontifice & Cæsare, quàm olim cum eos Meretricem bestiamque Apocalypticam appellaret, verba faciens. *Doluit permultis*, maxime verò Zelotis Taboritis, *isto modo ab Hussi vestigiis recedi, & in Antichristi castra reliri*: reclamabant, quantum poterant, & ventum est ad arma iterum, ubi Taborenses succubuerunt, totaque eorum bellica vis concidit penitus, ut postea nonnisi Verbi gladio & patientiâ sese defenderent. Factum Anno 1434.

5. Anno 1435, publicis Comitiis solenniter in Archiepiscopum electus fuit *Rokyzanus*: sed idem, cùm Cæsar ritu solenni consecrari eum impedi-

ret, (fortassis quod homini versipelli diffideret) deludi se ægrè ferens rursum cum factione sua, & Imperatoriam iniquitatem, & Papalem dominationem, insectari cæpit: metuque Cæsaris tandem Pragâ se subduxit annis fere tribus. *Sigismundus* enim paulò post obiit, & *Albertus* successor intra biennium; relicto *Ladislao* filio posthumo, qui apud *Fridericum Imperatorem* educabatur.

6. Hîc interregni tempore, & multò magis cum Ladislao exstincto *Georgius Podebradius* (quem *Rokyzanus* plane in potestate sua habebat) succederet, cæptum est maxime impleri illud Prophetæ; *Manasses Ephraimum vorabit, & Ephraim Manassem, ambo autem contra Iudam erunt.* Papa enim in Georgium & Calixtinos interdictis censuris, exsecrationibus, desæviebat, non segniùs illis in Papam & Monachos debacchantibus: sed veri fideles premebantur utrinque.

CAP.

CAP. XVII.

Taboritæ oppreßi.

ANno enim 1444, Taboritarum reliquiæ fraudibus & vi penitus oppressæ sunt. *Rokyzanus* siquidem, per se & alios, blandissimè eos alliciens, adhuc se cedere paratum simulabat, si penes se puriorem esse veritatem illi demonstraverint: nec se cupere ejus causæ seipsum, aut suorum quenquam, constituere judicem, sed permittere ut Ordines in publicis Comitiis de ea cognoscant & pronuntient. Annuerunt Taboritæ, causæ bonitate freti, ad Comitia comparuerunt. Ubi post multas disceptationes arbitri delecti, qui definitivam ferrent sententiam, Comitiorum authoritate confirmandam, ut neutri parti amplius provocare liceret, sed illicò se alteri parti adjungere teneretur: qui cùm *pro Rokyzano* (res enim composita erat) pronuntiassent, boni & simplices Taboritæ dolo se circumventos

tandem agnoverunt. Pactis tamen contraire non audentes, consensum in ritibus polliciti sunt. Cum autem illi domum reversi Ecclesiam reformare differrent, *Prorex Georgius* cum exercitu interveniens urbem obsidione cinxit, in eumque terrorem conjecit, ut Cives deditione factâ Sacerdotes suos ejus potestati traderent; quos ille in arce *Podebrad* & *Lititz* carceribus impactos, plerosque enecavit: *Lupacio* cum aliis quibusdam ad *Rokyzanum transeunte*.

Cap. XVIII.

Fratrum Bohemorum Origo.

Cum autem Bohemi per aliquot annos frustra Archiepiscopi sui investituram, toties eo nomine Romam legatione factâ, flagitarent, Papa verò id *nisi Calici renunciaret Rokyzanus*, abnueret: quinimo *Cardinale de S. Angelo* Pragam (Anno 1448.) misso, sub tractationis specie Compactata subduci iis, eripique juberet (cum quibus ille clàm profugerat quidem:

dem, sed è fuga retractus & restitue-
e coactus est:) *Rokyzanus resumpto in*
Papam odio, eum ex Apocalypsi & Danie-
e magnum illum Antichristum, nosque, in-
quit, *nisi ab obsequio ejus secesserimus, mi-*
eram & damnatam esse turbam, demon-
strabat; pro Religionis norma non Compa-
tata sed Legem Christi habendam; omnia
Papæ, tanquam contaminata, deserenda,
omnia è fundamentis Apostolicis ab integro
excitanda esse, dictitans. Verbo, ita
detonabat in Antichristum, ut pleri-
que alterum crederent Hussum, no-
væque reformationis spes affulgere
visa.

2. Sed cùm non admoveret operi
manum, cordatiores ex Auditoribus
(inter quos vel primarius fuit *Grego-*
ius, Kokyzani ex sorore nepos, Vir nobi-
lis) collatis consiliis Rokyzanum ad-
eunt, angores conscientiæ detegunt,
consilium petunt. Ille amicè excepit,
zelum collaudavit, tractatus quosdam
(maximè *Petri Chelcicii*) contra irrepti-
tias in Ecclesiam abominationes, le-
gendos obtulit, eoque modo magis
inflammavit: silentium tamen sua-
dens, & patientiam. Cùm iterùm &

tertio, auctiores jam numero, instarent, ut quod verbis doceret, reipsa exhibere ne differret, respondit: *Magnæ molis esse negotium, præcipitanter hic nihil posse agi, &c.*

3. Moliebatur interim Rokyzanus in Papam quicquid poterat, etiam cum Ecclesia Greca consensum. Cùm enim Florentinæ Synodi decretum (quo Bohemi denuo ceu hæretici ab Ecclesia abalienabantur) promulgatum esset, acta sunt Pragæ Anno 1450 Ordinum Comitia, Sacerdotumque Synodus: atque hic Rokyzani consilio, communi autem omnium consensu, *provocatio facta est ad Græcam Ecclesiam, & Legati cum literis Constantinopolim missi.* Græci capita doctrinæ à legatis audiverunt, & de consensu mutuo lætati sunt; datisque ad Bohemos literis, eos in fide confirmarunt, additâ promissione de ordinandis eis Ecclesiæ Ministris. (Erant literæ in membrana, cyanei coloris cerâ obsignatæ: cum subscriptionibus Patriarchæ & præcipuorum ejus Episcoporum: quæ postea typis descriptæ, hactenus exstant.) Sed hæc cùm lentam præberent

berent ſpem, *Rokyzanus* iterum ſuos animare, publiceque ſpem jamjam apparituræ Reformationis facere. Dicebat enim, abuſus varios taxans: *Nos ſuperficiem premimus, ſed prodibunt brevi, qui fundamenta veritatis è profundo eruent.*

4. Cùm ita pias animas in ſeptimum annum produceret, rogatus iterum conſilium, dixit: *Luſtraſſe jam animo omnia, nec quid ſtatuat reperire, niſi ut ſeceſſio fiat, tam à Calixtinis, quàm à Papiſtis ipſis, in univerſum: omnia enim ſcatere abominationibus, & immedicabile eſſe hoc malum.* (cui ſimile conſilium *Lupacii* quoque fuit.) Cùm dicerent: *Secedamus igitur, Te ducem, Te doctorem, Te patrem agnoſcemus, venerabimur, ſequemur. Duram offertis provinciam*, reſpondit; *audaces nimium eſtis; res plena periculi eſt*; & ſimilia.

5. Expugnata interim fuit à Turca Conſtantinopolis (Anno 1453.) diſperſorumq; Græcorum duo Pragam ingreſſi, humaniter à Rokyzano excepti; Miſſamq; (poſt multa de Religione colloquia) celebrare permiſſi ſunt. Ubi cum appareret æque apud illos ſuper-

ſuperſtitionibus obrutam eſſe fidei ſinceritatem: boni illi Zelotæ magis accendebantur ſpiritu, *quem fugerent videntes, quem ſequerentur non habentes.*

6. Denuò igitur Rokyzanum adeunt, perque gloriam Dei obteſtantur, ut animarum ſuarum ſeductæque plebis miſertus, ſe in tanto ſalutis diſcrimine ne deſereret. Ille autem bonus vir cum non tantùm haberet virium, ut poſthabita Archiepiſcopalis gloriæ (licet vana) ſpe, cum populo Dei ignominiam & crucem eligerent, indignabundus jam importunitatem exprobrare, rogareque, uti ſe miſſo facto ipſimet ſecederent: ſe illis à Rege (*Georgio* illo *Podebradio*, qui ut corona potiretur Papæ obedientiam jurarat) locum aliquem ubi ſecurè degere, & pura conſcientia Deo ſervire poſſent, impetraturum.

7. Imperavit igitur ditionem *Liticenſem*, in montanis Sileſiæ vicinis: quo mox Pragenſes illi cives, Baccalaurei, Magiſtri, ſeſe contulerunt; alii vero aliunde, plebeji & Nobiles, docti & indocti, non exiguo numero confluxerunt (maxime in pagum *Kunwald*-

wald

wald dictum) Anno 1459 Scripturarum lectioni, precibus, & operibus pietatis, intenti. Pastores habebant è Calixtinis, qui superstitionibus relictis ad Apostolicæ simplicitatis formam sese componebant: quorum præcipuus fuit *Michael Zambergius*, pius ac devotus senex. Illi omnes in universum sese mutuo Christianis communi, piis amabili, nomine, FRATRES & SORORES compellare cœperunt: quod & obtinuit, ut illis *Fratrum Bohemicorum*, κατ' ἐξοχὴν, titulus esset attributus, & hucusque.

CAP XIX.

Prima fratrum persecutio.

Displicuere Satanæ hæc Ecclesiæ novæ primordia: novam igitur & atrocem excitavit, qua eam obrueret, tempestatem. Penetrante enim passim hujus rei fama, Sacerdotes ubique in istorum odia plebem stimulabant: *Suffocate*, clamitantes, *suffocate scintil-*

ſcintillam, ne in flammam abeat! Ipſe Rokyzanus, quod mireris, hoſtilem induit animum, impiæ temeritatis eoſdem accuſans. Non enim deerant, qui ad Regem & Conſiſtorium variis nominibus Fratres deferrent.

2. Factum igitur fuit (Anno 1461) cum frater *Gregorius* cum aliis quibuſdam ſuos Pragæ viſitaret, & in domo quadam cœtum haberent, ut proditi & capti fuerint. Ubi notabile hoc accidit. Ingreſſus Prætor, in limine hypocauſti conſtitit, & Scripturæ verbis eos alloquens: *Omnes qui pie vivere volunt in Chriſto Ieſu*, (dixit) *perſequutionem patientur. Vos proinde, qui hic eſtis, ſequimini me ad carcerem.* Erat enim vir probus, de Fratrum propoſito non male ſentiens: ſed ob ſuperiorum juſſum aliter non potuit.

3. Rex ſeditionem Fratres aliquam, Taborenſium exemplo, moliri malorum obtrectationibus credens, juſſit virum ſanctum, *Gregorium*, torturæ ſubjici. Ille vero in profundam ſive lipothymiam, ſive Ecſtaſin prolapſus, nullos ſenſit dolores: & à tor-

toribus

toribus ipsis pro mortuo habitus, de fidicula depositus est. Ad quem ingressus Avunculus Rokyzanus (postquam in tortura exstinctum accepisset) multis lacrymis deflebat: *Vtinam tuo loco sim, ô mi Gregori!* ingeminans. Ille autem post horas aliquot ad se reversus, visionem quam interea viderat, recensuit. *Introductum se fuisse in pratum amœnissimum, in cujus medio stabat Arbor fructibus onusta: quibus varii generis Aves, frondibus insidentes, pascebantur. In medio vero earum Adolescens, calamo ita eas regens, ut nulla extra ordinem se proripere auderet, stabat.* Quo ostento proculdubio Deus istius Ecclesiolæ, cujus ille velut Patriarcha fuit, imaginem illi exhibere voluit. Vidit verò & *alios tres Viros, ejusdem Arboris veluti custodes*; quos sexennio post iisdem vultuum lineamentis reipsa, cùm per suffragia primi Antistites eligerentur, conspexisse, & agnovisse, testatus est.

4. Gregorio (intercessione Rokyzani) dimisso, *diplomata* Regis jussu à Consistorio dimissa sunt, *omnibus Pastoribus sacrorum sine cere-*

monii celebrationem inhibentia: & quicunque Fratribus (jam odioso Piccardorum nomine insignitis) *administrare auderet, capitis pœnam illi denuntiantia*. Fratres itaque in angustiis constituti, ac velut oves Pastoribus destituti, hinc inde palantes, iterum atque iterum *ad Rokyzanum confugiunt per gloriam Dei, perque salutem suam obsecrantes, ne causam, quam Dei esse sciret, desereret: neque multorum ab erroribus conversionem, ad quam essent paratissimi, exemplo suo impediret: nec agnitam Veritatem quamcunque ob causam in injustitia detineret. Caput esse totius in Regno cleri: redditurum pro omnibus Deo rationem*: & similia. Ut autem induratum viderunt, valedixerunt tandem, postremæ epistolæ his insertis verbis: *Rokyzane, Mundus es, & cũ Mundo peribis, &c.*

5. Quibus ille irritatus, Regem adversus eosdem denuo exasperavit, prodieruntque nova Regis & Consistorii nomine diplomata, *ne usquam in Bohemia & Moravia exitiosi illi homines tolerarentur*. Quamvis enim non deerant, qui capiendos & morte afficiendos vellent: Iodocus tamen Rosenbergius, Episco-

Episcopus Wratislaviensis, dissuadebat, ratione addita, M*artyrium esse semicrudam assaturam, ex qua facilè vermes enascantur*: (martyriis fideles multiplicari innuens:) commodius revocari posse, si proscribantur undique. Ubi enim nescierint quò se vertant, inquit, redibunt ad meliorẽ mentem.

6. Hac in Fratres acri ubique instituta Inquisitione, factum est, ut plerique illorum, præsertim primores, per montes & sylvas dispersi, speluncas inhabitarent: ne ibi quidem satis tuti. Ideo focos, in culinæ usum, nonnisi noctu (ne ascendens fumus proderet) excitare ausi: & circa ignem in frigore acri assidentes, Scripturarum lectioni & collegiis piis vacabant. Quoties nive alta ad necessaria comparandum prodibant, ne agnoscerentur per vestigia, eadem premebant omnes, ultimus vero fronde abiegna post se tracta opplebat nive: ut nonnisi vestigium rusticelli arbustum trahentis, videri posset. A qua latebrarum inhabitatione postea per ludibrium ab hostibus *Iamnici* (id est, Speluncales) dicti fuerunt.

Cap. XX.

Fratres inter se peculiare Ministerium erigunt.

Constituerunt verò inter se Ordinem quendam Fratres illi, electis per suffragia Senioribus: quibus rerum directione permissâ, obsequium promiserunt. Atq; horum consilio, evocatis è dispersis per Bohemiā & Moraviam præcipuis, Synodos etiam in montibus illis celebrarunt, certaq; condiderūt statuta, quomodo inter se, & erga alios, amicos & inimicos, Regem etiam & omnes Magistratus, &c. gerere se deberent: sæpius preces & jejunia sibimet & dispersis indicentes, & de iis quæ ad pleniorem vitæ & doctrinæ reformationem requirebantur, ex verbo Dei consultantes.

2. Maxima verò illis anxietudo fuit de Animarum Pastoribus, unde hos essent habituri, postquam quos habebant in præsens, decessuri essent. Exspe-

Exſpectare, dum Romanæ ordinationis aliqui, Veritatis amore ad ſe tranſirent, res erat incertæ ſpei. Et meminerant Rokyzanum toties proteſtatū, *à fundamentis redintegranda eſſe omnia.* Domi ergò erigendam eſſe ordinationem, poteſtate ea quam Chriſtus dediſſet Eccleſiæ: ut quamdiu Ordinatos adhuc inter ſe haberent, illi ipſi ordinent alios, & hi rurſum alios, ſibi ſucceſſuros. Inclinabant ſanè iſtuc ut ut deſideria, ſic & ſententiæ Sed quaſſabat animos metus, *an ſatis legitima foret Ordinatio, ſi Presbyter Presbyterum crearet, non verò Epiſcopus?* Et quomodo talem Ordinationem, ſi lis moveatur, defenſuri eſſent, ſive apud alios, ſive apud ſuos?

3. Tandem poſt annorum aliquot deliberationes anxias conveniunt (anno 1467.) è tota Bohemia & Moravia primarii quique Viri, circiter ſeptuaginta (in pago prope Richnoviā, *Lhota* dicto) multisque ad Deum fuſis lacrymis & precibus, ut num propoſitum placeret, & num jam tempus eſſet, oſtendere dignaretur: voluntatem Dei ſorte experiri conſtituunt. Eligunt

itaque

itaque è medio ſui, per ſuffragia, Viros novem, quos Miniſterio ſuſcipiendo præ cæteris judicabant idoneos: datiſque in manum pueri (in cætum accerſiti, & quid fiat ignorantis) ſchedulis occluſis duodecim, diſtribui inter novem iſtos juſſerunt. Erant autem illorum novem vacuæ: tribus duntaxat inſcriptum fuit, *EST* (ſcil. voluntas Dei, quam ſibi revelari petebant.) Fieri ergo potuit, ut omnes nacti fuiſſent ſchedas vacuas: quod indicium negativæ Dei voluntatis futurum erat. Sed factũ eſt, ut ſcriptæ illæ tres venerint in manus triũ inter eos, *Matthiæ Kunwaldii*, Viri piiſſimi; *Thomæ Przelaucii*, viri docti; & *Eliæ Krzenovii*, ſingulari quadã ſolertia conſpicui.

4. Hos illi cum gaudio tanquam divinitus ſibi datos amplexati, de confirmatione illorum, ſeu ordinatione, nova conſilia ceperunt. Cumque in confiniis Moraviæ & Auſtriæ *Waldenſium* quoſdam eſſe ſcirent, ut omnino ſcrupulis conſcientiæ, ſuæ & alienæ (in præſens & in futurum) conſulerent, ad illos *Michaelem Zambergium* Paſtorem ſuum (olim ab Epiſcopo Romano

no ordinatum) cum aliis duobus, miſerunt: qui quicquid actum eſſet explicarent, judiciumque de eo peterent. Inveniunt illi Epiſcopum eorum *Stephanum*: qui accito Epiſcopo altero, & aliquot è Miniſtris, originem ſuam, uſque à Conſtantini temporibus, doctrinæ item ſuæ articulos, & quid hactenus horrendi per Italiam & Galliam paſſi eſſent, explicant: rurſumque Noſtrorum de ſeceſſione à Papa & Calixtinis relationē audiunt, approbant, congratulantur: quinimo *tribus illis Miniſtros creandi poteſtate collata, manuum impoſitione eos Epiſcopos creant, & ad ſuos remittunt.*

5. Noſtri cum gaudio iſta percipiunt, & Unitatis Chriſtianæ avidi, *num in unum populum unamque Eccleſiam cum Waldenſibus coaleſcere poſſent, deliberant.* Placuit doctrinæ puritas, vitæque Chriſtianæ ſtudium, ſummè. Diſplicuit autē quod veritatem occultarēt, nec profiterētur liberè: quin evitandi perſequutiones ſtudio, Papiſtica Tēpla frequētarēt, ſacriſq; idololatricis communicarēt. Concluſum, monēdos eſſe de hoc, ut & aliis quibuſdam.

Miſſis

Miſſis itaque denuò Viris idoneis, Waldenſibus illa exponunt: qui placere ſibi propoſitum de unitate ineunda teſtantur; vitia expoſita ſe nec ignorare nec defendere, dicunt, fateri potius à priſtina Patrum ſuorum puritate ſeceſſum eſſe: de emendatione itaq; cogitaturos. Convenit utrinque, ut certo tēpore convenirent, & de negotio hoc plenius conſtituerent. Sed antequam tēpus illud adeſſet, Papiſtæ, re proditâ in bonos Waldenſes ſævire incipiunt. *Stephanus Antiſtes Viennæ igni perimitur*, reliqui hinc inde (pleriq; in Marchiam, indeq; poſtea in Moraviam præſertim Fulnekam delati) diffugiunt.

6. *Ab hac Fratrum Bohemorum cum Waldenſibus actione ortum videtur, quòd poſtea Waldenſium quoque titulo inſigniti fuerint*: ſed quem illi nunquam admittere voluerunt, per errorem illum ſibi tribui ſæpius publicis ſcriptis conqueſti. Id autem tum veritatis, tum neceſſitatis causâ. Veritatis: quia non ab ipſis doctrinam mutuârant; nec ipſis authoribus Unitatem fundarânt; nec ab ipſis reformati erant, reformari potius à ſe illos,

los, in illis quibusdam noxiis defe-
ibus, cupiebant. Necessitatis verò:
ia lata & publicata in Waldenses à
Iagistratibus decreta in se non deri-
anda, vitanda potius, prudenter pu-
bant. Ordinandi tamen potestatem,
oque *externam successionem, à Walden-*
bus se accepisse nunquam negarunt:
cet & hanc aliquando prudenter,
ro temporis ratione silentio præter-
ent.

7. Waldensium vero illius in Austria
ersequutionis consortes voluit esse
eus Fratres in Bohemia: contra quos
nno sequente (1468.) Georgius Rex
lenniter ad Comitia convocatis Or-
inibus, sanguinolentum tulit decre-
im: *Vnumquemque Procerum in terri-*
rio suæ ditionis debere dare operã, ut quos-
inque posset è Piccardis, comprehenderet,
in captos pro re nata & arbitrio anim-
dverteret, ad secessionem hâc severitate, vel
iam sævitiâ, coercendam.

8. Capti itaque nonnulli fuerunt,
diuturnis carceribus, ad Regis usq;
orte, (inter quos fuit primarius Fra-
tũ Antistes, *Michael Zambergius*) afflicti.
Quô iniquo & crudeli in se processu

Fratres moti, *Apologiam ad Rokyzanum, & Consistorium, deinde ad Regem quoque tandem ad omnes in universum, scripserunt*; Deique mirabili consilio factum est, ut quò majori nisu isti suffocatum irent hanc scintillam, eò magis illa in flammam erumperet: nonnullis jam è Proceribus etiam (Baronibus videlicet Kragiriis, Kostkis, Zerotiniis &c. Fratrum disciplinæ sese submittentibus, illisque in Oppidis & vicis suis *Oratoria* (*Zborij*, Templa enim publica Regni authoritate Calixtinis relinquenda erant) exstruentibus: ut paulò pòst (circa Annum 1500.) prope ducentas Ecclesiolas (per Bohemiam & Moraviam) haberent. *Atque sic impletum fuit* Matthiæ *Parisiensis, de surrecturo populo ignobili, sine gladio & potentia externa, cui prævalere Veritatis hoste non possent* (non enim potuerunt) *vaticinium.*

CAP

CAP. XXI.

Teterrima in FRATRES *mendacia ſparſa.*

ANno 1471. obiit Rokyzanus in Februario, cum deſperatione luctatus, Regem Georgium ſeſe invientem, ſecum ad tribunal Dei citans: ui & unico exacto mente ſequutus ſt, ſucceſſitque *Wladiſlaus Polonus, rinceps mitis & clemens.* Ad hunc Frares, falſis hoſtium criminationibus ierum obruti, Apologiam ſcribunt, ut er vim in eos tentari aliquid non pernitteret.

2. Quod Huſſitarum impios quoſam adeò uſſit, ut Anno 1476. omnim in eos concitare odia impudentiſmo quidam commento attentârint. ubornarunt hominem leviſſimum, rte Polentarium, nomine *Lezkam* quod ſi interpreteris *Mendaciolum* ſoat, voce rei ſatis conveniente) qui è onſortio Piccardorũ ſe venire, interue eos Seniorem fuiſſe dictitans, mia prodebat arcana: quomodo nem-

pe illi in conventiculis ſuis Deum, Mariam Virginem, & Sanctos, blaſphement, Sacramenta ludibriis traducant, inceſtuosè Adamitarum mori ſeſe commiſceant, homicidia exerceant, magiã tractent, theſauros ingentes coacervent &c. Hunc per Urbe & oppida circumducendo ſpectacul exhibebant, revocantẽ ubiq; in Templis, & ejurantem, prædictos errore & flagitia, plebemque ut pro ſe miſer peccatore Deum orarent, ſibi verò i pſis à ſceleratis Piccardis caverent, ob teſtantem. Comprehenderunt etiai iſtam ejus confeſſionem ſcripto, ſigillisq; & ſubſcriptionibus aliquot Decanorum & Parochorum munitam vulgârunt: ut quô non ipſe *Lezka* veniſſ perſonaliter, Confeſſio hæc ejus d Cathedris populo prælegi poſſet.

3. Sed conatus hic Satanæ in nihilum recidit. Fratres ſiquidem mendacia illa publico ſcripto refutârunt: & *Lezka*, toties in populi Chriſtiani conſpectu adjurari, ac pro veritate mendacia proloqui, exhorreſcens, renuit ob ſequi, ſeque inductum eſſe, nec quen quam Piccardorũ noſſe, confeſſus eſ

4. Il

4. Illa tamen ipſa mendacis Satanæ npudentia, conſuetâ Dei bonitate, uibusdam in bonum ceſſit: qui nimi-um tantæ atrocitatis facturi pericu-um, Fratrum cætus clàm frequentare nimum induxerant: longeque aliter mnibus deprehenſis, Fratribus ſe anquã veris Chriſtianis, aſſociabant,

---

CAP. XXII.

FRATRES è *Moravia in Moldaviam proſcripti.*

ANno 1488. Matthias Hungariæ Rex proſcripſit è Moravia Fratres: quorum aliquot centeni, aſumpto ſecum Miniſtro, *Nicolao Ilanski*, per Hungariam & Tranſylvaniam in Moldaviam uſque penetrârunt: ad quos biennio pòſt unum è Conſenioribus, *Eliam Krenowski*, Fratres miſerunt, per literas quoque ad patienter ferendum pro veritate exilium animantes. Sed reſtitutâ mox Bohemiæ Regi Moraviâ,

(post mortem scilicet Matthiæ Wladislao Hungariæ etiam Rege facto illi quoque restituti sunt.

CAP. XXIII.

FRATRES *in Bohemia ad Colloquium citati.*

ANno 1503. mitissimus Rex Wladislaus denuò se adversus Fratres concitare passus fuit, ut eos Magistratibus deturbari, captivari, pro lubitu affligi, permitteret. Causa fuêre, non tantùm aperti hostes, pusillo gregi more suo infesti; sed & falsi fratres quidam. Orta enim fuit inter Fratres de potestate seculari quæstio: *Vtrùm homini Christiano salvâ conscientiâ Magistratum gerere, gladio uti, juramenta præstare, aut exigere, liceret?* Negabant quidam (ut & seculo nostro Anabaptistæ,) at major pars affirmavit. Crevitque hoc dissidium ita, ut isti secederent, peculiaremque cætum Pragæ constituerent: hos criminati, quòd

jam

am Gladium admittere, & sese exter-
nâ vi tutari proponant. Calumnia hæc
avidè excepta, & ad aures Regias de-
lata, effecit, ut Rex: *Itane jam ergò no-
bis Ziscam reducere cogitant?* (Iuz Ziz-
kowati chtegj?) *Compescendi hanc
insolentiam non deerunt nobis viæ*, &c.
Fratres igitur novam ad Regem Apo-
logiam scribunt: fidei suæ rationem
reddentes, & blasphemias Piccardis
attributas, novasque illas calumnias,
à se removentes. Quod Regem per-
movit, ut edictum alio edicto mitiga-
ret: mandaretque, *ut Academici &
Consistoriales excitos ad Colloquium ami-
cum Piccardorum, Primores rationibus re-
vocare ab erroribus tentarent.*

2. Ad Calendas igitur Ianuarij
(1504.) *jussi sunt Fratrum patroni, Ba-
rones, sistere primarios Doctores suos, ad il-
lud cum Academicis & Consistorianis Col-
loquium.* Re ultrò citroque deliberatâ,
quamvis insidias subesse metuerent,
quia tamen Regem irritari, simulque
causam bonam deseri, non convenie-
bat, decretum est sisti. Mittuntur
proinde (sed tanquam victimæ ad
mactandum) Fr. *Lucas Pragenus* &

Laurentius Krasonicius, *Antistites*, cum aliquot aliis, precibus interim omnium Ecclesiarum commendari. Exstat epistola *Bohusʒæ Kostkæ Baronis de Postupitz*, Litomysliæ Domini, quam Fr. *Krasonicio* jam à se dimisso, per cursorē submisit: è qua hîc aliqua subjungere operæ videtur pretium. *Naturale est*, inquit Baro, *vitam amare. At Tu sublimiora edoctus, mi Frater, memineris vitam Tuam sepultam esse cum Christo, quâ ut potiaris moriendum Tibi esse in Christo. Scis tamen cui credidisti, & quàm potens sit conservare depositum Tuum ad illum usque diem* &c. *Confortare igitur in Domino, & in virtute roboris ejus, ut decertes bonum certamen, & accipias vitæ coronam. Certaminis hujus quæ sit forma, doceri quidem Tu opus non habes, moneri forsan potes. Sed ne Te detineam, sta dilecte Frater. Nos quidem quantum humana potuit providentia, de securitate Vobis prospeximus, nec deerimus posthâc: si tamen hostium prævaleat furor, & Deo Vestrâ morte glorificare placeat causam filii sui, Vos parati estote cum Iobo dicere: Dominus vitam hanc dedit, Dominus auferat. Prout benè placuit ei, ita factum*

factum est. Vale mi Frater. Litomysliæ, die Protomartyris Stephani, 1503. Exstat & Fr. Lucæ Epistola valedictoria ad Boleslavienses suos, scriptum cordatissimum.

3. Deus autem qui ad ulteriorem gloriæ suæ usum hæc organa reservata voluit, eripuit eos è faucibus leonum mirabiliter: exstincto sub diluculum ejus diei quâ in Consistorio comparere debebant, morte subitaneâ, M. *Martino Poczatecio*, Veritatis hostium non postremo. Quo exemplo exterriti reliqui, & cùm tota civitas concurreret, Colloquium non in secreto sed publicè haberi flagitans: illi nescio quas occupationes incidisse prætendentes, in aliud tempus distulerunt, Fratribus amanter dimissis.

CAP. XXIV.

Ad FRATRES *exterminandos Regis VVladiſlai edictum; interventu tamen mirabilium Dei judiciorum effectu ſuo caſſum. Martyres Borenſes.*

NOn poterant quieſcere Veritatis hoſtes, quin exitium puſillo Fratrum gregi machinarentur denuò. Iohanne enim Boſako, Waradienſium in Hungaria Epiſcopo (natione alioquin Moravo, Proſtanenſi, homine verſutiſſimo, & in Euangelij Veritatem odio implacabili ardente) cum aliis Hungariæ Epiſcopis, Bohemorumque primariis, callida ineunte conſilia, ſubornata eſt Regina, tùm gravida, partuique vicina, ut Regem non facilè illam eo ſtatu contriſtaturum, de novo in Piccardos Edicto ſollicitaret. Quæ *ad Regem ingreſſa* (ut ex Regiis Cubiculariis, Viris fide

fide dignissimis, cognitum fuit) *eam sibi gratiam petiit, ut Rex tot petitionibus locum daret, & in Piccardos mandata vulgare vellet.* Rex contristatus capite nutavit, nihilque respondit.

2. *Episcopi interim mox in Regis præsentia Mandati copiam scribere incipiunt:* Rege cubiculum ingrediente, in genua procidente, & cum lacrymis sanguinolentorum consiliorum culpam, quin & successum, deprecante. Exaudivit vocem hanc Deus, inque authoribus conspirationis hujus aliquot horrendi judicii sui edidit exempla. Prima horum *Regina* fuit, quæ jam spe præoccupato spectaculo, Piceardos exurendi, decollandi, aquis suffocandi, &c. quamprimùm puerperio defuncta Pragam venisset, animúm oblectabat. Sed eheu judicia divina! Doloribus enim partus ante partus tempus præventa, cùm eniti non posset, Medici ut alterutrum servaret, fætum exscindendum putârunt: adhibitique chirurgi filium vivum quidem, sed luci videndæ immaturum, exemerunt, (*Ludovicum*, qui pòst in regno utroque patri suc-

cessit:) sed mater dolores non sustinens exspiravit, & cum ea impiæ hostium ad tempus machinationes. Factum Budæ, Anno 1 5 0 6, Calendis Julii.

3. Biennio pòst, quod dudum moliti fuerant Episcopi, effecerunt tandem, ut Rex importunitate illorum, (ad tollendum tam virulenter serpens malum acrioribus remediis opus esse clamitantium) expugnatus, *atroci Edicto*, (*Anno* 1508. *Aug.* 10. *publicato*) *in omnes Piccardos, absque generis, sexus, ætatisque discrimine, animadverti juberet.*

4. Attulit edictum hoc in Bohemiam, frequentibusque ad Comitia convocatis Ordinibns reddidit *Waradiensis Episcopus Iohannes*, cum *Stanislao Turzone Olomucensi Episcopo*. Sed quia multi ex primaria Nobilitate Edictum hoc absque Comitiorum decreto factum esse questi, ut vim haberet non assentiebantur, res parum procedere visa est, interque mutuas propterea concertationes extracti sunt menses ferè octodecim.

5. De-

5. Demum Cutnensibus Comitiis, Anno 1510. *Cancellarii Alberti Kolowratai*, ejusque complicum, molitionibus versutis ac multis, in Regis ipsius præsentia, Edictum illud sanguinariū vim ex plurium assensu accepit: nempe ut non tantùm de illo Tabulis Regni protinùs inserendo decerneretur, verùm & de manu armatâ rigidissimè exsequendo cohortatio conjuratioque mutua fieret. Sed Deus prostrato crudelitatis istius parario Alberto, aliisque, disturbavit crudeles conatus istos propemodum omnes. De quo mox.

6. Has inter turbas *Ministri ex Fratrum Unitate plerique omnes loco moti fuerunt, nec nisi in occulto rem divinam facere ausi. Citabantur etiam in Cancellariam Regni præcipui eorum nominatim: sed comparere à Patronis vetabantur.* Nec ipsum pòst publicatum Edictum adeò nocuit: præter quòd è plebe quidam ad supplicia rapti fuerunt.

7. *Baro* enim *de Schwamberga comprehensos sex Fratrum auditores, è pago Augezd* (propè Tustam) *in Oppido Bor comburi fecit: quorum recensentur nomina,*

Matthias

Matthias Prokop, arte ſutor:
Iohannes Simonowitz, textor:
Bartholomæus Hranowitz, vietor:
Iohannes Herbek, figulus:
Iohannes & *Nicolaus* { *Nadribkæ*, fratres germani, agricolæ.

Examinati à Parocho Pontificio, nùm ſibi tanquam animarum Paſtori obſequi vellent? Reſponderunt, *Habere ſe animarum Paſtorem Chriſtum*, &c. Ad ſupplicium ducti, procedebant alacriter: cumque *Præfectus Nicolao* præ cæteris affectus, vitæ ſpem offerret, modò deliberandi ſpatium, vel integrum annum, poſceret: ille quaſi deliberaturus conſtitit, & mox, *Nimium eſt*, inquit, *deliberando amittere Fratres*: ſimulque cum illis ad rogum perrexit.

CAP. XXV.

Iudiciorum Dei in hoſtes exempla quædam.

LIbet judiciorum Dei exempla quædam tempore hoc & paulo antè, inter

nter sanguinaria illa hominum crudelium molimina, edita memorare.

2. Regni Cancellarius *Albertus Baro de Kolowrat*, cùm in reditu à Comitiis modo dictis, ad *Baronem Coldicium, Bilinæ Dominum*, divertisset, & summa cum voluptate in quid omnes jam consensissent, nuntiaret: Coldiciusque ab adstante famulo suo, Simeone, Fratrum disciplinæ addicto, quid hæc placerent? quæreret: respondit ille, *Nondum consensisse omnes*. Cancellarius quasi conjurationis alicujus novæ conscium adoritur, edissereret, Quisnam ille, aut illi sint, qui se omnibus Regi Ordinibus opponere auderent? Regni proditores esse, scelestos, eidemque pœnæ involvendos, quicunque tandem illi sint. Famulus manu sublatâ, *In cælo est*, inquit, *unus ille, qui si Vestris non interfuit consiliis, frustrà consultastis*. Experieris tu nebulo, æquè ut cæteri, regerit ille; simulque surgit furoris plenus, ad Krupkam oppidum suum festinans. Sed eo ipso momento carbunculus quidam pedem ejus occupat, à quo accensus ignis sacer: qui nullà Medicorum arte exstingui

exſtingui valens, hominem impium exſtinxit. Unde factum, ut primario hoc flabello exſtincto, cæteri remiſſiùs agerent.

3. *Waradinenſis* autem ille machinator è Bohemia nuper in Moraviam feſtinans, propè Olomutium jam curru deſcendere ad veſicam levandam (femoralibus, more ſeculi, non indutus) volens, in feneſtra currûs paxillo cuidam acuto ſcrotum ita illiſit, ut in repentino deſcenſu inteſtina ex ſeſe (parte eorum in prædicto paxillo hærente) protraheret, paulòque pòſt exſpiraret.

4. *Doctor Auguſtinus*, Iuriſta qui mẽdaciſſimo & calumnioſiſſimo ſcripto Fratribus odium apud Regẽ & omnes bonos conflare conatus erat, per eosdem dies Olomutii, domi ſuæ, inter cænandum ſubitò exſtinguitur.

5. Præceſſerat hos *Puta de Swihow*, ſanguinolentorum & ipſe conſiliorum complex. Qui obortâ ingenti circa arcem ſuam ventorum tempeſtate in Arcis cellam profugit, ibidemque ſe occluſit. Aulicis pòſt pulſantibus, quum nemo aperiret, accerſitus eſt

ſerarius

ſerarius faber, qui recluſit. Ingreſſi quatuor è primariis, & paulò pòſt regreſſi, loculum confici curârunt, cui impoſitum Dominum obduxerunt pice: nec innotuit quidnam accidiſſet.

6. *Henricus de Nova Domo*, & ipſe magnæ in Regno authoritatis Veritatisq; non poſtremus hoſtis, Venationi indulgens, cùm trahâ vectus effunderetur, Venabulum quod lateri ejus adjacebat ipſum præveniens, ita femori ſe impegit, ut per lumbos exiret, mortemque dolorificam inferret.

7. In ſumma, tam crebra fuerunt & evidentia in protegendo hoc puſillo & inermi fidelium grege judicia Dei, ut proverbio tum temporis inter ipſos adverſarios uſurpatum fuerit: *Si quem vivere piget, aggrediatur Piccardos, non annum ſupervivet.* Particulares interim & perſonales perſequutiones non infrequentes fuerunt. Quo referri poteſt quod hîc ſequitur.

CAP.

CAP. XXVI.

ANDREAS POLIWKA Martyr.

CUttenburgensis fuit civis, sed ob religionem mutatam Litomyslã secesserat: quò eum sequi nolens uxor, cùm ad se visendam rediisset, prodidit. Captus igitur, & à Sacerdotibus (Calixtinis) tam diu vexatus fuit, donec uxori cohabitationem, Sacerdotibusque obedientiam promisisset. Factum, sed reclamante conscientiâ. Die igitur sacrâ, quum Parochus concione finitâ Monstrantiam proferret, & in Altari collocaret, populus verò procidens adoraret: Andreas ignem intus urentem continere non valens, magnâ voce exclamavit: *Tace sacrifice, meum jam est loqui.* Et ad populum conversus: *Quô ruitis, charissimi? quid adoratis? Numen panaceum? Ah Deum vivum, cœlestem, in secula benedictum adorate.* Parochus populum, Loqui prohiberent, scelestum nebulonem Piccarditam prehen-

prehenderent, inclamat. Exterriti primùm omnes, manum admovit nemo: tandem tamen reperti sunt, qui irruentes, pugnos ingesserunt, caput columnæ alliserunt, & sanguine fædatum ad carcerem raptârunt. Productus postridie in Curiam, Senatu & Parochis præsentibus, interrogatusque, Num eadem quæ heri dicturus sit hodie? affirmavit, idololatriamque Antichristiana nihilo tolerabiliorem, exprobavit. Interrogatus, cujusnam instinctu talia auderet? Respondit, *Cujus instinctu ausus est Abraham ab Idololatris recedere, & adorare Deum vivum?* Instantibus illis: Dicendum tibi est præcisè, cujus suasu talia patres? Respondit, *Cujus suasu Daniel idolomaniæ sese opposuit?* Inclamârunt iterum: Tace, melius te ista novimus, doceri à te opus non habemus. Scimus autem te hîc complices habere, quos cum fateri ultrò nolis, fateberis coactus: simulque in carcerem reduci, & paulò pòst torturæ subjici, jubent. Sed nihil extorquere valentes, tanquam obstinatum igni addicunt. Rogatus à Sacerdotibus Prætor, nè prodeuntem

loqui

loqui permitteret, nè forsan sermonibus suis inficeret plebem, pactus est cum Andrea, ut (nisi os sibi obturari vellet) sermonem premeret. Promisit ille & præstitit, nihil toto itinere loquutus, sed tacite orans. Demum caput jam ustulatus exclamavit: *Iesu Fili Dei vivi miserere, miserere, miserere mei peccatoris*: Nec ampliùs quidquam. Sacerdotes verò ad populum: Ecce, inquiunt, demum invocat JESUM, in quem vivus credere, & Sacramenta ejus venerari, noluit! Factum Anno 1511.

CAP. XXVII.

Persequutiones quas Calixtini quoque puriores perpessi.

DUrissima igitur per omnia hæc tempora sors Ecclesiæ Fratrum erat: sed nec immunes tamen à cruce Calixtini, præsertim zelo contra Papatum

tum insigniores. Nam Anno 1408. 21. Augusti, Regis Wladislai jussu M. *Michael Polak*, ad S. Ædii Palæo-Pragæ Pastor, vir inculpatæ vitæ, & concionator eximius, cum aliis tribus Parochis (M. *Wenceslao Slanao*, *Iohanne Miczta*, & M. *Wenceslao Piscено*) quòd Papam Antichristum proclamassent comprehensi, & in arcem Karelstein deducti sunt. Ubi primus fame & carceris squalore enectus; alii Ordinum intercessione ægrè tandem dimissi. Quo tempore alii quoque purioris sententiæ Pragâ aut pulsi sunt, ut M. *Matthias Machekus*, Academiæ Professor &c. aut excesserunt ultrò ut *Lucas Pragenus*, Baccalaureus (qui pòst inter Fratres Episcopum egit, ut paulò antè memoravimus, vir insignis) & ejus familiaris M. *Iohannes Nix* Physicus, aliique.

2. Interdixit quoque Rex eodem anno cantilenarum adversùs Papales abominationes directarum, usu: cumque non abstineretur, cōprehensos quosdã, etiam primarios Cives, carceribus diuturnis afflixit, unũ & alterum quoque torturâ excarnificari permisit, ut *Mat-*

Matthæum Serling, *Martinum ab aurea Rota*; *Scheynoha* verò (& ipſe Pragenſis civis) tormentorum vehementia ruptus eſt.

3. Reſumpto igitur Monachi animo, in partem ſub Utraque licentioſè debacchari, Huſſitasque ad inferos damnare pergunt, variè, ſed fruſtrà contra murmurante plebe. Senatores quoque Pragenſes (plerique Pontificii & Germani) Regis lenitate abuſi, eò progreſſi fuerunt audaciæ, ut cum aliquot Religioni adverſantibus Nobilibus initâ conſpiratione, nocte 24. Septembr. diem ſequente præcipuos Civium ſub Utraque internecione delere decreverint. Sed pariter ſpe & exſpectatione fruſtrati ſunt: quia malum proſperante Deo in authorum capita recidit. Re enim proditâ, tumultus ingens factus eſt, in quo trium Urbium Prætoria, omniaque Monaſteria, direpta, Senatores & Monachi multi occiſi, Anno 1483. Quod etſi Wladiſlaum malè habuit, facta tamen inquiſitione, & cauſam à Papiſtis præbitam fuiſſe deprehenſo, ignovit Pragenſibus: Anno 1485. in publicis Comitiis

Comitiis publica inter partes *sub Una* & *sub Utraque* pacta (de tolerando se invicem, & colenda amicitia) stabiliri passus est: odiis tamen & opprobriis mutuis parum cessantibus.

4. Anno 1491. cùm 28. Ianuarii in primario Hussitarum Templo (ad Lætam Curiam) Eucharistia sub Utraque distribueretur, Germanus quidam à tergo accedens fæminæ honestæ è calice bibenti eidem Calici caput ita allisit, ut ore dissecto sanguis prorumperet. Ob quod facinus comprehensus quidem, & in carcerem ductus, sed mox iterum dimissus, fuit.

5. Archiepiscopatu autem vacante non poterant Calixtini Sacerdotes nisi in Italia ordinatos habere: ubi tamen ad renuntiandum Compactatis, & totalem Papæ obedientiam pleriq; obstringebantur; quod Bohemis permolestum fuit. Venit igitur Anno 1482. in Bohemiam, purioris (ut ajebat) Religionis amore, *Sancturiensis* ex Italia *Episcopus*, *Augustinus Lucianus*: quem cum gaudio exceptum honorificè habuerunt. Obiit Anno 1493. Cui post annos undecim successit *Philippus*

Sido-

Sidonienſis & Mutinenſis Epiſcopus. Hic (partim Pragæ, partim Cuttenbergæ reſidens) pariter Calixtinis Sacerdotes ordinando inſerviit, annos tres: quibus exactis rurſum Papæ & Epiſcopis ejus blandiri coacti ſunt. Tam miſera fuit iſtorum ſervitus, qui ab Antichriſto receſſiſſe videri volentes, ſub ſignis tamen ejus militare non dubitabant.

6. Sed enim nonnulli Scholaſtici, (inter quos fuit *Iohannes Bechinka*) odio Papæ ab Academia acceptis literis in Armeniam uſque profecti erant, ordinationis causâ. Et quia illuc fama de Bohemorum hæreſi pervenerat, diligentiùs examinati ſunt. Repertoque in præcipuis articulis, & vernaculæ uſu, conſenſu, ordinati ſunt, Anno 1499. 18. Octobris. Horum è numero poſtea duo à Romanenſibus martyrio affecti fuerunt, *Martinus* nempe *Taborenſis, cum Diacono ſuo,* Raudnicii exuſti.

CAP.

CAP. XXVIII.

Perſequutiones Orthodoxorum ſub Zahera (ſeu Tzahera) Adminiſtratore, Pſeudo-Huſſita.

EXcitaverat interea Deus in Germania magnanimum Lutherum, Papæ fulmen: quô velut expergefacti in Bohemia Calixtinorum nonnulli, puriorem Euangelii doctrinam amplecti ordinationemque Miniſtrorum Wittenbergæ potiùs quã Romæ quærere animũ induxerunt; ſed objiciente miras difficultates iterum Satanâ.

2. Cùm enim Anno 1523. in Ianuario, Ordines Bohemiæ & Moraviæ magno numero Pragã collecti, convocatis etiã Eccleſiarum Paſtoribus (inter quos fuerunt è Moravia *Paulus Speratus*, Olomucii deinde Epiſcopi juſſu combuſtus, & *Benedictus Optatus, Wenceſlaus Litomiſſius* SS. Theol. Doctor. & *Iohannes Charpa*, Viri orthodoxi Academiæ verò Magiſtris præſidentibus XX. Articulos Reformationis quodãmodo

prodromos, conclusissent (inter quos fuerunt, *Si quis Euangelium absque humanis additamentis docere vellet, neque vituperandum, neque hæreseos condemnandum esse; Missas mercenarias, quæstu servientes, abrogandas esse; Elevationem Monstrantiæ, paulatim antiquandam; Consecrationes herbarum, & similes superstitiosos ritus, intermittendos, &c.*) constituissentque Administratorem sub utraque, *Gallum Zaheram*, ad Lætam Curiam Palæo-Pragæ Pastorem D. Luthero familiarem (Nam Witembergæ aliquamdiu vixerat, & Lutherum publice tanquam insigne Dei organon deprædicabat, tandemque & Luthero ad Pragenses de Ministrorum Ordinatione scribendi author fuerat) spes bonis fuit melioris Ecclesiæ status magna, sed brevis.

3. Nam paulò post, vertumnus ille offensam Regis Ludovici declinaturus, ad Calixtinorum ingenium rediit & in Comitiis ejusdem anni mense Iulio celebratis, Articulos prioribus contrarios vulgare, Compactatorum renovationem urgere, inque Regis & Papistarum gratiam furiose Orthodoxo

oxos perſequi cæpit: idque ex hac
ccaſione.

4. Papa animadverſo, quorſum
es, ut in Germania ſic & in Bohemia,
pectaret, miſit ad Ludovicum in Hun-
ariam Legatum: qui inde Pragam ad
arios datis literis, etiam ad Conſiſto-
ium & Zaheram, blandiſſime Eccle-
æ unionem inſinuabat. Factus inte-
ea conſul erat Pragæ, *Iohannes Paſ-
k*, fraudulentus, ſuperſtitioſus, cru-
elis homo; cujus factio cùm poten-
er dominaretur, Zahera illi parti ac-
edens ad Legatum Conſiſtorii nomi-
e ita reſcripſit, ut hominis in ſenſum
eprobum dati evidens eſſet teſtimo-
ium. Scribit enim (poſt alia:) *Nihil
obis prius, aut antiquius, uti ſemper, ita
unc, eſt, quàm ut in Eccleſiæ corpore per
dei unitatem, ſedisque Apoſtolicæ obedien-
iam, conſtantes reperiamur. Nec venera-
ilitas veſtra quidquam ſperare poterat læ-
abilius, atque à noſtris Legatis accipiet,
uos brevi miſſuri ſumus. Revera etenim
Bohemia noſtra fundamento firmiſſimæ pe-
ræ Catholicæ fidei innixa, omnes errorum
luctus, quibus vicinæ Germanorum regio-
es quatiuntur, velut immota rupes ha-*

ctenus sustinuit & infregit, & tanquam Pharos in medio tempestatibus agitati maris constituta, omnibus navigantibus facem lucidam præfert, portumque à naufragio securum ostendit. Confidimus itaque, Pater reverendissime, negotium illud de que R.D.V. ad nos scripsit, ita promotum iri ut ædificium hoc divinum firmissimis fulcris stabilitum à ruinis præservetur. Modò nè molestè ferat R.D.V. tantillam moram dum Legati nostri adveniant. Atque tùn firmabuntur muri Ierusalem, & stabunt pedes nostri in atriis ejus, & videbitur Deus Deorum in Sion, & ibimus de virtute in virtutem &c. Tempore Quadragesimæ, 1525.

Venerabilissimæ Paternitati Ve-
stræ humilimi servi,

M. Gallus Zahera, *Administrator, cum toto Consistorio, sese commendant.*

5. Interrogatus, quomodo tanta severitate approbata nuper dogmata persequi auderet? respondit, Se Luthero non alio animo adfuisse, quàm ut ejus Piccardorumque perspecto ingenio

genio, faciliorem ad eosdem oppugnandos aditum haberet. Quod & fecit perfidus Iudas, osculo tradens filium hominis.

CAP. XXIX.

Orthodoxi Pragâ proscripti, virgis cæsi &c.

VT igitur Regi & Papæ placere ia cum *Zahera Passek*, novis suis Articulis subscribere cogebant Pastores & Cives omnes: subscribere autem recusantes urbe proscribebant. Primùm Pastores sex (*Wenceslaum Poczatek*, ad S. Galli Pastorem, *Georgium Smakal*, ad S. Henrici; *Martinum de Bethleem*, *Paulum de S. Michael*, *Martinum de Opatowitz*, & *Iohannem Mirussam*) deinde Cives præcipui nominis sexaginta quinque: inter quos fuit *Burjan de Kornitz*. Iuris D. & Cancellarius Pragensis; *Iohannes Hlawsa*, Exconsul &c. Quærebatur etiam majori sævitiæ

prætextus, ſparſâ calumniâ de conſpiratione quadam Euangelicorum in Calixtinos: cujus confeſſionem ut alicui extorquerent, tres cives torturæ ſubjecerunt, *Iohannem Bonuſſam*, *Matthiam Hrzebenarz*, & *Iohannem Sliwkam:* qui tamen innocentes pati, quàm contra conſcientiam falſa teſtari, maluerunt

2. Turbarum interim faces conſenſum quendam inter Pragenſes ſtabiliverunt: *Neminem de fide ſuſpectum (Piccardum ſcil. aut Lutheranum) ad opificiorum Curias, & Civitatis jus admittendum.* Hujus plebiſciti confirmationem, ad Regem legatione Budam factâ, impetrârunt. Hic igitur cuivis quidvis licuit in Orthodoxos. Si quis etiam creditori ſolvere nolens Piccardiſmi inſimulare potuit; jam perſolverat, altero urbe pulſo. Quidam non ſimpliciter proſcripti, ſed ignominosè producti: Ut *Ludòvicus Pictor*, quòd Monachum de S. Barbara inſulſiſſima deblaterantem, concione finitâ monuiſſet, *Satiùs fore populum ex Euangelio inſtitui, quàm talibus fabellis detineri;* à plebe Monachi clamore

accitâ

accitâ comprehensus, in carcerem raptus, pòst verò per lictorem Urbe eductus fuit.

3. Cultrarius quidam, quòd de Sacramentis libellum à quodam purioris sententiæ conscriptum penes ipsum reperissent, virgis in foro cæsus, & proscriptus est. Quod & *Iohanni Kalenetz* evenit: sed inusto insuper fronti ejus stigmate, quòd laicus cùm esset, sibi tamen & familiæ Eucharistiam administrasse diceretur. *Georgius Lopatski*, unus è proscriptis, cùm Rex talem sibi processum non probari scripsisset, proscriptosque restitui mandasset, ratum id fore existimans, reversus est domum suam Pragæ: sed captus, in carcerem detrusus, ibidemque enectus.

4. Celebrata interim sunt Regni Comitia, &, scelestis illis pragmaticis urgentibus, conclusum, ut sub Una & sub Utraque communicantes, Compactatorum vi, unum essent corpus: Wladislai verò in Piccardos mandata exsequutioni darentur. Unde Fratribus nova persequutio, occlusis eorum passim Templis exercitioq; inhibito.

5. Cùm iſthæc tàm protervè fierent, *Matthias* quidam *Eremita*, homo ſimplex, ſed vitæ ſanctæ, qui Pragam (Anno 1519.) venerat, hactenusque per fora & plateas populum, magnis agminibus confluentem, ad Dei timorem & pœnitentiam hortari conſueverat, fruſtrà id eatenùs inhibere tentantibus clericis: Zaheræ quoque expertus manum. Cùm enim ille Adminiſtratorem Zaheram (literis Anno 1525. ad eum ſcriptis) modeſtiæ Theologicæ admoneret, (Scripturis ad fidem convertendos eſſe homines, non carceribus, aut virgis, torturis, carnificationibus &c.) ab ipſo ad Colloquium invitatus, mox Prætori traditus, & in carcere uſque ad eum diem quô Ferdinandus in Regem eligebatur, detentus, poſteâ verò ex Urbe relegatns fuit. Exſtant piiſſimæ Viri illius ex carcere datæ epiſtolæ.

Cap.

CAP. XXX.

Supplicio ignis affecti, NICOLAUS WRZETENARZ, *cum Clara Hospita sua.*

ANno 1526. 19. Decembris *Nicolaus Wrzetenarz*, senex literatus à Iacobo Parocho apud Senatum Piccardissimi accusatur, citatus, & quid de Sacramento Altaris crederet à Zahera interrogatus, respondit: *Id quod me Euangelistæ & S. Paulus ut crederem, docuere.* Administrator: Credisnè hic adesse Christum, habentem carnem & sangninem? Ille, *Credo cùm pius Verbi Diuini Minister fideli cœtui annuntiat beneficia morte Christi parta, Panem & Vinum fieri Cœnam Domini, quâ illi Corporis & Sanguinis Christi, beneficiorumque morte Christi partorum participes redduntur.* Quid multa? post ventilationem quæstionum aliquot de Missa, de Sanctorum intercessionibus &c. tanquam hæreticum igni addicunt, unâ cũ hospi-

ta ſua *Clara*, vidua ſexaginta annorum, quod ab hoc inquilino ſuo eandem edocta fidem, abnegare eam nollet.

2. Producti ad ſupplicii locum, & ad erectam Crucifixi imaginem, orientem versùs, orare juſſi recuſarant, dicentes: *Nullius rei in Cœlo vel terra ſimulacrum adorare permittit* Lex Dei. *Deum itaque vivum, cœli & terræ Dominum adorabimus, qui æquè in Meridie, Occaſu & Septentrione habitat, atque in Oriente.* Obverſo igitur ſtatuæ illi tergo, facie occaſum versùs procubuere, & manibus oculisque in cœlum ſublatis, ardenter Chriſtum invocavere. Tum valedixêre liberis quiſque ſuis: & Nicolaus alacriter pyram conſcendit, conſtitit, Articulos Symboli recitavit, hisque finitis Cælum ſuſpexit, adoravit, & exclamavit: *Domine Ieſu Chriſte, Fili Dei vivi, qui è pura Virgine natus, pro me impuro peccatore mortem crucis ſubire dignatus es, Te ego ſolum adoro, Tibi animam meam commendo: Miſerere mei, & condona mihi peccata mea.* Tum recitabat Latinè Pſalmum, *In te Domine ſperavi.*

Interea

Interea carnifex Claram rogo impoſuit, alligavitque utrumque, & libris penes illos repertis utrique circumjectis, accendit.

CAP. XXXI.

MARTHA PORZICIA *combuſta*.

ANno poſt combuſta fuit *Marthæ de Porzicz*, ſupra ſexum heroico animo fœmina. Examinata tam à magiſtris in Collegio, quàm à Iudicibus in Prætorio, animosè fidei ſuæ reddebat rationem, ipſiſque Huſſitis Papæ adulantibus ſtoliditatem exprobrabat. Adminiſtratori, ut ſtolam ſibi rogo imponendæ pararet, monenti, reſpondit: *Parata mihi ſunt & induſium & pallium, quando lubet duci jubete.* Pronuntiante Præcone, blaſphemaſſe Sacramenta, reclamavit: *Non ita eſt: ſed condemnata ſum quod ad placitum Sacrificorum confiteri nolui Chriſtum*

cum ossibus, capillis, nervis, & venis in Sacramento contineri. Et elevata ad populum voce, dixit: *Nolite Sacerdotibus istis habere fidem. Sunt enim hypocritæ mendaces, ventris mancipia, helluones, adulteri & Sodomitæ.* Producta, & ad Crucifixi statuam orare jussa, posteriora ei obvertit, oculisque in cœlum sublatis dixit: *Ibi est Deus noster, istuc respectare debemus.* Inde properavit rogum conscendere, ignisque supplicium animo præsentissimo sustinuit, 4. Decembr. Anno 1527.

CAP. XXXII.

LAGENARIUS & ZONARIUS *igne cremati.*

ANno 1528. (Ferdinando I. rerum jam potiente) Germani duo opifices (alter Zonarius, alter Lagenarius) Lutheranismi nomine à Monachis accusati, à Pragensibus ad ignem condemnati fuere. In processu

ad

ad ſupplicium multa piè è Scripturis diſſerebant, ut nonnullis lacrymas moverent. Rogo impoſiti, animabat alter alterum egregiè. Zonario enim dicenti: *Quandoquidem Dominus Ieſus atrocia pro nobis paſſus eſt, patiamur nos quoque hanc mortem: & & gaudeamus nobis eam obvenire gratiam, ut pro lege Dei patiamur.* Reſpondit Lagenarius: *Ego verò die nuptiarum mearum tantum non fui expertus lætitiam, quantam nunc.* Cùm ſuccenderetur pyra, orarunt voce clarâ: *Domine Ieſu Chriſte, tu in cruciatibus tuis pro inimicis tuis oraſti. Oramus igitur nos quoque, ignoſce Regi, Pragenſibus, Clericis: neſciunt enim quid faciant, & manus eorum plenæ ſunt ſanguinis. Chariſſimi homines, orate pro rege veſtro, ut illi Deus veritatis det cognitionem: Epiſcopi enim & Clerus ſeducunt eum.* Quâ pientiſſimâ admonitione finitâ, placidè exſpirarunt, 28. Auguſti.

CAP.

CAP. XXXIII.

Iudicia Dei in ZAHERAM, *ejusque complices.*

DVchoslaw, civis Pragensis, & Zaherę adulator strenuus, tam furenter oderat Orthodoxos, ut in votis optatisque suis duceret, suâ manu suspendi, decollari, comburi posse omnes in universum Piccarditas: sed justo Dei judicio omnia ista illi ipsi evenerunt. Ære enim alieno obrutus Anno 1525. die Andreæ, seipsum domi suæ suspendit: quem cognati clàm subductum propè quendam pagum humari fecerunt. At rustici, re cognitâ, effossum cadaver projecerunt: quod jussu Magistratus carnifici traditum est comburendum. Cùm verò grandi consumptâ lignorum strue, comburi tamen non posset, amputatur illi ambusto caput, atque ita demum cum trunco terrâ obruitur.

2. *Zahera* ipse, cùm sub inquisitionis in Piccardos specie Politicas quoque excitaret turbas, Ferdinandi Re-

gis

gis mandato, Anno 1529. 9. Augusti proſcriptus, & mox eâ ipsâ die (loco proceſſionis quam poſtridie, D. Laurentio ſacra, ſolenniter peragendam, adornabat) in exilium migrare coactus, in Miſniam ſeceſſit. Unde ab Electore, quid hominis eſſet monito, iterum proſcriptus, in Franconia miſerè vitam finiit.

3. Quod ſimiliter crudeli iſti *Paſsko* primario Conſuli, Anno 1530. fruſtra ad Regis genua provoluto, & gratiam petenti, evenit.

Cap. XXXIV.

Preſſuræ ſub Ferdinando I. *perpetuæ.*

OMnes quidem Huſſitæ ob negatam abſolutam Papæ obedientiam exoſi erant, ſed Fratres ob eidem dictum univerſale repudium, exoſiſſimi: nec alio fine Papiſtæ Compactatorum obſervantiam ſimulabant, quàm ut Calixtinos in oppimendis ante alios Fratribus haberent adjutores.

Urgere

Urgere igitur Wladiſlai edictum, Fratribusque quâ licuit vim inferre, non intermisêre.

2. Fratres ergo multa per totum Regnum paſſi, Apologiam iterum ſeu fidei Confeſſionem, pleniorem quàm antehac (cui 12. Barones, & 33. Equites ſubſcripſerant, Anno 1535.) per Baronem Wilhelmum Krzinezium, & D. Henricum Domauſicium Wiennam Ferdinando mittunt, conquerẽtes ſimul ac ediſſertantes, quàm iniquè Piccardorum errorum inſimulentur; & quàm nihilominùs ſanguinolenter Parochi quidam contra ſe claſſicum canant, vociferantes, *impunè poſſe Piccardos mactari, minuſque ſic admitti peccatum, quàm ſi quis canem occidat.* Adversùs quas tot illas ac tantas injurias, juſtitiam ſe Dei, & Regis miſericordiam ac protectionem, implorare.

3. Exprobavit Ferdinandus obſtinatam pervicaciam; libellumque tam accuratè quam neceſſitas poſtulet, varia ob impedimenta, à ſe tunc legi poſſe negavit: nihil tamen contra jus&æquum permiſſum iri, ad cau-

ſæ

ſæ uſque pleniorem cognitionem, promiſit.

4. Pendente hac lite, Fratres nihilominùs domi quidem premebantur, aliundè vero, (cum *Luthero*, *Bucero*, *Capitone*, aliis, ſæpiùs commutatis literis) animabantur; Deus autem Eccleſiæ valida incrementa, invitis hoſtibus, dabat, ad annum uſque Eccleſiis Euangelicis per totam Germaniam luctuoſum, 1547.

5. Tridentini enim Concilii Decreta exſequuturus *Cæſar Carolus*, cum fratre *Ferdinando* & *Papa* initis conſiliis, Proteſtantibus Germaniæ Principibus bellum movent. Solicitat Ferdinandus Bohemos quoque de auxiliis: illi vero antiqua cũ domo Saxonica fædera prætendentes, fideique conſortium, tùm Ordines Regni, tùm Civitates liberæ, unanimi quaſi conſenſu (ad Lutheraniſmum enim ab Huſſitiſmo inclinare cæperant plerique) ſe excuſant.

Ferdinandus igitur Proteſtantibus in Germania bello ſuperatis (Anno 1547.) Bohemiam cum exercitu Germanorum & Hungarorum ingreditur,

greditur, Pragam occupat, Ordines convocat, præcipuos Baronum, Nobilium, Civium, ad carceres rapit, quosdam virgis cædit, quosdam capite plectit, alios pecuniâ multat, nonnullos bonis exuit in universum, Pragensibus armamentarium, omniaque privilegia aufert. Nonnulli etiam proscripti sunt, aut ultrò in exilium secesserunt.

CAP. XXXV.

Templa FRATRUM *ubique clausa: Ecclesiæ illorum quædam integræ proscriptæ.*

TAm tristi rerum statu non defuerunt Satanæ flabella, qui omnium horum culpam in Fratres transferre, eoque nomine apud Regem, Proceres, plebem, extremum illis conflare odium sategerunt. Rex igitur calumniis habitâ fide, primùm edicto publicato

blicato omnia ubique Fratrum Templa claudi jussit. Deinde è ditionibus quinque (*Litomyslena*, *Brundusina*, *Chlumecensi*, *Bydzoviensi*, & *Turnoviensi*, quas ob attributum rebellionis crimen, inter alia, Proceribus eripuerat) omnes Fratrum auditores (nisi ad partem sub Una vel sub Utraque transirent) ex omnibus suis terris proscripsit.

2. Quò fulmine non exigua eorum pars prostrati, manus dedêre: constantiores Deo & conscientiis servaturi fidem, abiêre communi consilio in Poloniam, terno agmine. Primum è Litomyslenis, Bydzovinis & Chlumecensibus collectum ad quingentas animas, ibat sexaginta & aliquot curribus per Glacensem Comitatum, & Silesiam superiorem: Alterum Turnovienses & Brundusinos quosdam habens, animas circiter trecentas, curribus quinquaginta ibat per montes Gigantum, & Silesiam inferiorem: Tertium eâdem viâ, continens Brundusinorum reliquos. Omnes tamen & mirabilem in itinere divinam protectionem (nam uno & altero lo-

co latronum manus ad hos invadendum convenerat) & hominum plerisque in locis Christianam commiserationem & liberalitatem experti sunt: etiam in ipsa Polonia, tunc alioqui planè Pontificia. Posnaniæ enim (ubi convenerant omnes) satis humaniter admissi, & hospitiis excepti sunt: antequam Episcopus à Rege mandatum de pellendis illis impetrasset..

3. Id verò simul ac advolavit, excedere inde, & in ulteriorem Prussiam, Ducis Alberti Brandeburgici permissu (ad quem de concedendis exilii sedibus solicitatum nonnullos præmiserant) se transferre coacti sunt: ibique à Theologis Lutheranis Regiomonti examinati, (habebant enim secum ministros suos, quorum præcipuus erat *Matthias Sionius*, Senior) pro Fratribus agniti, illisque ad quietè habitandum oppidum unum & alterum (nominatim *Soldavia*, Gwidzina, &c.) commonstrata: multam illis humanitatem & charitatis officia exhibente *Paulo Sperato*, Pomesaniensi Episcopo, qui ante annos aliquot per Bohe-

Bohemiam transiens Ecclesiam Litomyslenam salutaverat, ritusque Fratrum &doctrinam probè cognoverat. Eos igitur Borussiæ hospites dari gratulatus, & ad Principem commendaverat, & ipse multâ prosequebatur benevolentiâ.

CAP. XXXVI.

JOHANNES AUGUSTA, JACOBUS BILEK, & GEORGIUS ISRAEL, *capti*.

TErtium quod Ferdinandus in Fratres designavit, fuit Edictum de Ministris Fratrum captivandis. Quapropter dispersi sunt, pars in Moraviam (quæ illi tempestati non involvebatur) pars, nè prorsùs suos Auditores desererent, per latebras: unde prodeuntes (sed noctu plerumque) fideles visitabant, sacra per domos, ubi opus fuit, peragentes: quod per annos aliquot duravit.

2. Tres

2. Tres eorum in hoſtiles venêre manus, *Iohannes Auguſta*, Senior, cum *Iacobo Bilko*, Collega ſuo: & *Georgius Iſrael*, Turnovienſis Eccleſiæ Paſtor. Sed hic mirabili Dei ope è profundo Arcis Pragenſis carcere liberatus, ſuos in Boruſſiam ſequutus eſt, divinitus poſtea Polonorum Apoſtolus factus. Cùm enim iterum atque iterum è Boruſſia in Moraviam (ubi è Bohemia pulſi Miniſtri latitabant) iter faceret, & per Poloniam Majorem tranſiret, aliquot in locis, occaſione datâ Euangelium prædicavit, eo ſucceſſu, ut & de Nobilitate multos (atque in his Palatinos & Caſtellanos) lucrifaceret, & intra paucos annos Eccleſias in Majore Polonia circiter viginti conſtitueret. Atque hæc fuit origo in Polonia Eccleſiarum, quæ hactenus ritus Confeſſionis Bohemicæ ſequuntur.

3. De *Iohanne Auguſta* incarcerato nō aliter ſibi hoſtes, quàm olim de capto Samſone Philiſtæi, gratulati ſunt. Erat enim Vir toto Regno celebratiſſimus, non ob id ſolùm quòd Fratribus Antiſtes primarius, ſed etiam ob concertamina, quà voce quâ ſcriptis habita

habita cum adverſariis Calixtinis, quos æquè feliciter in Bohemia, ut Papam Lutherus in Germania, confundebat. Lutheri enim auditor fuit aliquamdiu, & poſtea ſæpiùs cum ipſo literas commutabat. Quâ occaſione hoſtes contumaciæ Ordinum erga Ferdinandum culpam in unum ſolum Auguſtam derivarunt, quaſi is cum ſuis id egiſſet (pertractis callidè in factionem iſtam reliquis Ordinum) ut Ferdinando dejecto Iohannem Fridericum Saxoniæ Electorem ad regnum promoverent; futurumque id omninò fuiſſe, ſi prælio ſuperatus fuiſſet Cæſar.

4. Hæc atrox conſpiratio ut detegeretur, Auguſta ad Colloquium à fucato amico (quaſi conſilium de mitigandis malis daturo) evocatus, captus, Pragam deductus, commiſſione inſtituta carnificis manu ter horrendè tortus fuit: ut & *Iacobus Bilek*, collega. Sed nullo deprehenſo ſcelere, aut ſceleris indicio, relicti ſunt in carcere ſeptendecim annos: demùm, quippe poſt Ferdinandi mortem, Anno 1564. dimiſſi.

CAP.

CAP. XXXVII.

Ministrorum Euangelicorum plurimi Regno proscripti.

DEprehenso igitur, Fratres nullius conspirationis fuisse authores, sed Ordines pro antiquo cum Saxone fœdere, novoque in Protestantes affectu, egisse: animum applicuit Ferdinandus ad Lutheranos quoque persequendos. Convocatis igitur Comitiis Anno 1549. Compactata stabiliri, decretumque de non tolerandis ullis aliis sectis (Fratribus puta & Lutheranis) vulgari fecit.

2. Cujus effectus is fuit, ut impuris Calixtinis, quemadmodum & Papistis, multùm accederet animi ad licentiosiùs Euangelicos odiis, calumniis, injuriis vexandos. Donec & Anno 1555. Regis ipsius jussu, ordinati in Germania & uxorati Ministri è Civitatibus & Oppidis alii post alios moti, & Regno proscripti fuerunt, numero (ut

(ut quidam consignatum reliquerunt) propè ducenti. Hos per Misniam & Palatinatum dispersos Philippus Melanchthon literis datis pulchrè consolatus est.

3. Permiserat etiam Rex de Nobilitate Euangelica quosdam quocunque prætextu, proscribi, vel ad carceres rapi. Inter quos fuit *Iohannes Prostiborski*, *Baro de Schanow*, non opibus, sed doctrina & rerum usu, insignis. Hic ob suspicionem cujusdam in Ferdinandum machinationis, communicatorumque cum Saxonicis consiliorum, post iteratum aliquoties verbale examen torturæ subjiciendus, heroica quadam indignatione linguam sibi ipsi præscidit, & exspuit. Interrogatus cur id fecisset, quod non poterat in ipsis cruciatibus linguâ, id fidiculâ dimissus calamo exposuit: Eò se fecisse, ut qui sibi per conscientiam vera loquenti fidem negarent, ad falsa contra se vel alios dicendum, nullis doloribus adigere possent. Atque hic aliquot philutarum scripto tyrannicos contra se aliosque innocentes processus, multis exprobrans, ad

tribunal Dei Regem, omnesque ejus Consiliarios, citabat, & paulò post in eodem carcere (quanquam Rex illi, ut valetudini restitui posset, Chirurgum & Medicum submitti curâsset) exspiravit.

CAP. XXXVIII.

Iesuitæ in Bohemiam introducti.

OMni conatu in id unum incumbens Ferdinandus, ut quoquomodo perdomarentur, quos putabat, hæretici, introduxit Pragam *Iesuitas*, splendidumque illis & opulentum Collegium erexit: quemadmodum & paulò pòst Chomotowiæ, Crumlowiæ, & Hradecii quod Henrici dicitur (Germanis Newhauß.) Atque hi, juventutis institutionem prætendentes, Ecclesias & Politiam subvertendi artes more suo captârunt incendioque illi, quô nunc deflagra-

vit

it patria, paulatim fomites compor-àrunt.

CAP. XXXIX.

'acatus Ecclesiarum sub MA-IMILIANO *status. Euangelici sub Confessione una communi in syncretismum reducti.*

SUb Maximiliano tamen (ut & postea Rudolpho) non satis feli-iter istorum processere artes. Maxi-ilianus enim Anno 1562. in Regem oronatus (Princeps animi sedati, z Veritatis cognitione satis instru-tus) nullo modo se ad vim fidei cau-i cuiquam inferendam permoveri assus est: unde factum ut non solùm espirarint, sed & effloruerint sub ipso cclesiæ.

2. Habebat enim Aulæ concionato-em (Ferdinando patre adhuc vivo) irum pientissimum, Euangelicæque

Veritatis apprimè gnarum, eoque doctrinam cœlestem piè sibi instillantem, *Iohannem Phauserum*: sed qui propterea odia sustinuit, tantùmque non martyrium passus. Quippe ad hunc aliquando in conclave solus Ferdinandus Cæsar ingressus acriter increpare, & quod filium falsâ doctrinâ imbuendo seduceret, expostulare cæpit. Qui tametsi responderet modestè, Cæsar tamen exarsit adeò, ut stricto pugione dextrâ, sinistrâ verò collo Phauseri prehenso, ictum intentaret. Cohibuit se tamen: egressusque filio, ut hominem mox amoveret mandavit. (Hæc ex ipsius Phauser ore hausta scripto consignavit *Iohannes Blahoslaus*, Fratrum in Moravi Minister, postea & Senior, tùn Viennæ hospes.) Neque tamen pòs etiam Maximilianus, quamdiu vixit alios quàm moderatos Conscientię su moderatores admisit. Dicereque fu solitus (quin & ad *Lazarum Swendium*, Baronem, scripsit:) *eos sibi videi thronum Dei invadere velle, qui Conscientiis dominari cupiant.*

3. Inter alios pacifica consilia Opt

mo Principi, si quando fuit opus, instillantes, fuit sapiens ille *Iohannes Crato, Medicus:* quem postquam sibi archiatrum legerat, inter intimos habuit. Hic aliquando solus cum Cæsare, animi causâ in campum exspatiante, curru vectus, Cæsareque tot & tantas in Christianismo dissensiones dolenter commemorante, & tandem ex Cratone, *Quosnam ille inter tot sectas Apostolicæ simplicitati proximè accedere putaret,* quærente, respondit: *Nescio annon Fratribus, quos Piccardos vocant, concedi id possit.* Cæsareque inferente, *Ego idem sentio:* ausus est Crato Fratribus, quos novam Cantionalis Germanici editionem adornare sciebat ut Imperatori dedicarent, suadere. Factum ergò est, Anno 1566. Vbi dedicatoriæ Epistolæ illi spem suam, & omnium bonorum, *de Ecclesiæ Reformatione Vniversali per suam Cæs. Majestatem promovenda, inseruerunt: exemplisque Davidis, Iosaphati, Iosiæ, Constantini, Theodosii, animare; tandem & suum talentum, pro mensura quà sibi admensus esset dona Deus, ad opus tam commune offerre,* non dubitarunt.

runt: quemadmodum præfatio ipsa, quam omnes Cantionum istarum libri (pòst etiam recusi) adhuc præferunt, ostendit. Verique simile est, non defuturam fuisse sanctissimo Principi voluntatem, si per artes illorum qui Regum sceptra obsessa, manusque ligatas tenent, licuisset.

4. Anno Regni tertio (1565) cudebant Veritatis osores novam in Fratres persequutionem: abusi ad eam rem Cancellarii Bohemiæ, D. *Ioachimi de Nova domo*, authoritate. Qui Wiennam profectus, instantiis quibusque effecit, ut Cæsar ad urgendum Wladislavianum in Piccardos mandatū Mandato novo, invitissimus licet subscriberet. Sed vigilavit suis bonitas Dei, Principemque optimum vel innocentem sanguine maculari, vel oppressorum gemitibus gravari, noluit. Cùm enim Cancellarius diplomate jam armatus rediret, portisque Viennensibus vix ingressus Pontem Danubii transiret, factum est ut Pontis jugum sublicis solutis dehisceret, eumque aquis Danubii absorbendum traderet. Submersus ergò est cùm suo comitatu; sex

sex equitibus tantùm enatantibus, & adolescente nobili, qui ante paucos demùm annos, ætate decrepitâ, vitâ excessit, diuturnus horrendi judicii testis; sed Fratrum religionem, pro qua Deum tum excubare didicerat, professus. Is aquis Danubii supernatans conspexit Dominum suum undis regurgitatum, aureâque torque prehensum tenuit, donec Piscatores, quos cum navigiolo adventare videbat, subvenissent. Exemptus ergo est Baro, sed mortuus: at Cista, cui feralia incluserat instrumenta, ita profundo mersa est, ut in nullius hominis conspectum venerit ampliùs. Nec fuit qui rem denuò tentare vellet. (Historiæ hujus meminit Thuanus quoque Libro XXXVI. refertque casum hunc ad 4. Eidûs Decembris.)

5. Decennio pòst (Anno 1575.) celebravit Maximilianus Comitia Pragæ, Ordinesque Regni sub Vtraque syncretismum, sub communi Vnius Confessionis tessera, inire permisit: frustrà id, quanquam omni nisu, tam Jesuitis quàm Pseudo-Hussitis, impedire tentantibus. Cũ enim sup-

plicibus suis libellis protestationibusque inter alia inseruissent; *Ordines sub Vtraque non esse in fide unanimes, sed fovere inter se Piccardos, Calvinistas, Lutheranos:* Ordines ut Consensum testari possent, Confessionis communis conscribendæ inivenunt consilium: electis adhæc Theologis certis, illisque ex Baronum, Nobilium, & Civico ordine, Inspectoribus datis. His ergò Magistri Pragenses obtulerunt Libros M.*Hussi*, veterumque Bohemorum de Religione facta Synodica & Comitialia decreta. Qui Augustanam Confessionem erant amplexi (magna jam Ordinum pars) obtulerunt eandem Confessionem suam; sicut & suam illi qui ex Fratribus erant. Conferebant ergo in singulis Fidei Articulis, & sensum, & loquendi formulas, singularum partium: exprimebantque formulis talibus, quibus quælibet pars subscribere posset & vellet; ad particulares nimis, subtiles & scholasticas, quæstionum differentias non descendendo. Quæ Christiana illorum moderatio & prudentia non solùm ipsis tùm profuit, sed & multis

multis magnis Viris, in Germania & alibi placuit. Cæsar enim oblatam sibi Confessionem illam ratam habuit, omnesque illi subscribentes in Regiam protectionem suam suscepit. Consistorii tantùm constituendi potestatem, & Academiæ, quam petebant, in aliud tempus rejicit: sanctè interim promittens, non defuturum se, aut certè filium (quem jam designaverant successorem) Ordinum petitioni. (Notandum: hanc *Ordinum Confessionem Bohemicè fuisse scriptam, in Latinum non translatam, nedum typis excusam, nisi Anno* 1619. cum Regi Friderico ab Academia & Consistorio Pragensi offerretur. *Ideoque in Confessionum Harmonia, seu Syntagmate, non exstat*: quæ autem Bohemicæ Confessionis nomine ibi habetur, *ea Fratrum Bohemorum Confessio* est peculiaris, non hæc Ordinum communis. Quam in Germanicum duntaxat transferri curârat, Wittenbergensiumque Theologorum censuræ mox à Comitiis Anni 1575. submiserat, D. *Bohuslaus Felix à Lobkowitz & Hassenstein*, electus ab Ordinibus tunc negotii Director.

Approbarunt autem eam Wittenbergenses: inter alia his etiam verbis, (in suo ad Baronem Germanico responso) usi: *Quanquam confessio hæc compendiosa est, facileque animadvertimus in conscribenda illa id maximè fuisse spectatum, ut primarii Fidei Articuli breviter, rotundè, propriéque exprimerentur, ad evitandam superfluam prolixitatem, & de scrupulosis quæstionibus lites ac jurgia. Quod fortassis rixosi aliqui in Germania nostra, si Confessio hæc Germanico etiam prodiret idiomate, taxaturi essent: nobis tamen Christiana hæc prudentia & moderatio Vestra non probari non potest. Ideoque admonitos voluimus apertè, ut tametsi aliunde alia veniant judicia, ab hac tamen sancta & casta simplicitate abduci Vos ne patiamini. Id siquidem certum est, optimè sic consuli Ecclesiis, easque tam maximè ædificari, emendari, & in unanimitate conservari, quando pura Euangelii doctrina populo Christiano in simplicitate, sine ambitiosè quæsitis subtilitatibus & emergentibus inde contentionibus proponitur: quemadmodum & Psalmus XXV. orat; Simplex & rectum custodiat me, &c.* Dabantur

bantur Wittenbergæ 3. Novembr. 1575.)

CAP. XL.

Sub RUDOLPHO *Euangelici plenam Libertatem nacti.*

ANno pòst 1576. rebus humanis exemptus Optimus Maximilianus, successorem habuit filium Rudolphum: qui paternis vestigiis insistens, ad annum usque 1602. pacatè regnavit, nulla cuiquam Religionis nomine motâ persequutione. Hoc demum anno clandestinis Iesuitarum per sua organa machinationibus eô res deducta fuit, ut Rudolphus conscripto ab illis Edicto (de reproducendo in Piccardos Wladislai mandato) subscriberet, publicari juberet: nullo tamen alio effectu, quàm quòd Templa Fratrum aliquot ad tempus clausa fuerunt. Fratrum enim Patroni, Proceres, protestati ad se istud nihil perti-

nere, cùm tales non ſint quales Piccarditæ illi deſcribantur, facilè obtinuerunt, ut Edicta ſua non ſtrictè obſervari conniveret mitiſſimus Cæſar: nec illa urgere per alios Euangelicos Ordines hoſtibus adeò licuit. Relatum quoque fuit à fide dignis, eum poſtea quàm veſpere ejus diei 22. Julii de intercepta à Turcis *Alba Regali*, præcipuâ Hungariæ urbe, advolaſſet nuntius: conſternatum dixiſſe: *Exſpectabam tale quid, poſteaquam hodie Dei regimen, quod eſt Conſcientiarum, uſurpare cœpi*: ad paternam illam reſpectans gnomam.

2. Nec illi aliud fuiſſe propoſitum, quam pientiſſimi Parentis præſtare promiſſa, Conſcientiarumque ſtabilire libertatē, declaravit ſatis poſtea, cùm Anno 1609. Ordinibus Regni ſub Vtraque (reclamante licèt Papâ & factione Hiſpanicâ, ſuisque adeo Conſiliariis nonnullis) *Conſiſtorium inferius Academiamque Ordinum arbitrio reformanda, tradidit: additis Majeſtaticis Literis, quibus & donationem confirmavit; & Templa Scholaſque ab Euangelicis vel poſſideri (quas poſſident) vel*

vel exstrui (ubi opus) permisit; & af-fligi quenquam Religionis nomine (etiam è suis Catholicorumve Procerum, imò & Spiritualium, subditis) vetuit; & futuros Reges successores suos, ad hæc sanctè observanda, obstrinxit; & denique Ordinibus Defensores, Libertatis hujus custodes, è medio sui eligendi facultatem restituit.

3. *Ordines* igitur *Consistorium reformant*: & quidem concordiæ causâ, *tres de Hussitis, tres de Fratribus, totidem de Euangelicis aliis*, Ministros per suffragia eligunt: illisque *tres Academiæ Professores* adjungunt, atque hos duodecim selectos Viros, Ecclesiastica totius regni curare jubent. Et quia de *Compactatis* abolendis, atque ad normam solius divinæ Legis regendis Ecclesiis jam consensus erat omnium, electus est Administrator primus ex Hussitis, *Elias Schuda de Semanjn*, posthac è communi Ministrorum vel Decanorum cætu eligendus. *De Fratribus* verò (quibus suus disciplinæ Ordo ad pleniorem usque Syncretismum permissus) conclusum est, ut suum *Seniorem, Administratoris Collegam proximum*, quamdiu Ordinis illius diversi-

tas

tas (amicâ tamen concordiâ) duraverit, haberent. Quibus & Pragæ sacellum Bethleem dictum, & Hussi prædicatione clarum, tanquam genuinæ Hussi progeniei ab Academia concessum est. Quæ omnia omnium bonorum publicâ lætitia peragebantur: personabantque divinis laudibus omnia: & Templorum valvis passim affigebatur::

Templa patent, Leo lætus ovat, firmante Rodolpho.
Quam dederas fidei Maxmiliane fidem: & similia.

4. Inierunt quoque Ordines sub Utraque, cum Ordinibus sub Una, amicam transactionem, de servanda concordia & pace mutua: quam certis Articulis comprehensam, inscribendam offerunt Tabulis Regni, firmandam vero Cæsaris ejusque Consiliariorum subscriptionibus. Sed reperti tres fuerunt, qui conscientiæ scrupulum causati subscribere, iterum & tertiò solicitati recusarunt: *Zdenko Adalbertus Popel de Lobkowitz*, Regni Cancellarius: *Guilhelmus Slawata de Chlum*, & *Iaroslaus de Martinitz Smeczansky*;

zansky. Contra hos igitur Ordines sub Utraque solennissimè protestantur, si posthac quidquam contra hanc toti Regno à Cæsare concessam libertatem moliti fuerint, (id enim eos habere propositum satis hoc ipso facto demonstrare) se in ipsos tanquã pacis publicæ turbatores, animadversuros. Quæ Ordinum protestatio, Rudolpho concedente, Tabulis Regni illata, inter privilegia asservata, eoque unà cum cæteris Regni Privilegiis à Rudolphi successoribus juramento firmata fuit.

5. Effloruit itaque Religio purior, sublato paulatim Pseudo-Hussitismo, per totum Regnum: ut vix centesimus quisq; superesset, qui non Euangelicam profiteretur doctrinam. Sed eheu! cum Religionis libertate (ut fieri assolet) paulatim quoque succrescere cœpit vitæ licentia, Disciplinaque (etiam apud quos viguit antè) dissolvi mirum in modum cœpit. Quare non omnibus piis Libertas illa, carnis securitatẽ secum trahens, placuit, maleque nonnulli ominari cœperunt: donec & Ferdinandiana horrenda tem-

tempestas nos obruit, Propheticumque illud, *In pace amaritudo mea amarissima*, impletum est: de quo sequitur.

CAP. XLI.

Novæ sub MATTHIA *hostium machinationes.*

ALtiùs hîc ordiendum est, ut fundus calamitatis nostræ patescat meliùs. Occasio concessæ illius à Rudolpho Bohemis (& Silesiis) Religiosæ Libertatis plenæ fuit, quòd Hungari cum Austriacis & Moravis, ob rationes nescio quas Politicas à Rudolpho desciscentes, fratrem ejus germanum Matthiam Archiducem Regem sibi, Ducem, Marchionem, creaverant: cumque Exercitu numeroso (Anno 1608.) Bohemiam ingressi, ad Pragam usque, non solùm Coronam Hungariæ, ibi tùm asservatam reposcebant: sed & Bohemos

hemos ad defectionem ſolicitabant. At hi unà cum Sileſiis, in fide perſtiterunt: Matthiâque cum Hungariæ Corona, & ſucceſſionis in Regno Bohemiæ, à Rudolphi morte, ſpe, dimiſſo, ob fidem Rudolpho præſtitam, Religioſæ Libertatis promiſſam pridem gratiam, Conſiſtoriique & Academiæ poteſtatem, & petierunt & impetrârunt.

2. Malè interim uſſit Rudolphum illata à fratre ignominia: magis autem quòd Hiſpanicas proſpectans technas Bohemiæ ſuæ, totique Germaniæ malè ominari inciperet. Conſilia ergo quædam nova intra ſe agitare cœpit: quæ cui committeret anxius, eligit tandem Barones duos, quos hic ſibi fore fideles ſperabat: alterum ex Auſtria, *Dn. Kahn*, alterum ex Moravia, *Dn. Schmid*: quorum uterque natione Stiriacus fuit, ſed uterque à Ferdinando Archiduce, Anno 1600. Stiriam reformante, cum aliis multis patriâ pulſus. Hos ille ad ſe Pragam evocat, Anno 1610. ſolicitudinemque de ſtatu publico ſuam exponit. Matthiam ſibi dari ſucceſſorem dolet:

let: qui cum æquè vivat improles, totusque à Spiritualium nutu pendeat, valdè se vereri eò venturum, ut illi Ferdinandum adoptandum, eoque sic ad sceptra promovendum, commendent. Sibi itaque alium è domo sua ad Regni successorem promovendi propositum esse, Leopoldum: quem sciat quanquam nunc Episcopum, & Ferdinandi fratrem Germanum, mitiori esse indole, & bonis consiliis obtemperaturum. Ac ne ille quoque seduci possit, facturum se memorabile quiddam: Fundaturum dum adhuc vivat ORDINEM PACIS, pro Conscientiarum Libertate, ut quicquid Christum invocat immune sit: invitaturumque se ad Ordinis hujus societatem Reges & Principes Euangelicos, & si qui volent ex Catholicis. Quorum cùm haberet consignatum jam à se Catalogum, ostendit, circiter quinquaginta: prælegens simul formulam Fæderis, aut societatis Ordinis illius, à seipso conceptam; & depromens Torquem auream binam, ac illorum cuique donans, cum insignibus Pacis, manu suâ confe-

ctam: qualium & plures confecturum se dixit, pro sodalium Ordinis numero.

3. Quærit igitur ex illis hæc cum stupore audientibus, utrùm agere etiam aliquid, ad promovendum sanctum hoc propositum essent parati. Negant illi se scire, quid à sua tenuitate in rebus tantis exspectari possit. Ille: Operâ vestrâ duorum uti constitui ad legationes quasdam. Tuâ *Kahni* ad Principes Germaniæ; Tuâ *Schmidi*, ad primores Bohemiæ & Moraviæ. Sed prius mihi opus erit ad me sedemque meam securitate muniendam præsidio. Ibitis ergo ante omnia Passoviam ad Leopoldum, illique, postquam Vobis literulis manu meâ fidem fecero, consilia hæc exponetis. Atque si annuerit, quod futurum scio, dispicietis statim ut Exercitus colligatur: & ad me redibitis. Attonitis illis ad hæc omnia, tridui spatium ad deliberandum concedit Cæsar. Quid multis? Redeunt illi, mandataque & suscipiunt & exsequuntur: sed eventu infelici. Quanquam enim Anno sequente (1611.) Exercitus

Ille

ille Paſſavienſis Pragam uſque perrupiſſet, Matthias tamen cum exercitu ſuo inſequutus, iſtos repulit, Bohemiæque Rex factus eſt, Rudolpho mærore exſtincto.

4. Hoc non prætereundum ſilentio. Cùm Baro *Schmidius*, Paſſaviâ redux, ad Bohemorum & Moravorum primores ablegaretur, intentionem illis Cæſaris intimaturus, contra quàm ſperatum fuit evenit, ut apud neminem inveniret fidem: omnibus nihil niſi colorem eſſe, technasque occultari interpretantibus, aut etiam forſan bella inter Reges duos extimeſcentibus. Id quod cùm *Schmidius* renuntiaret Imperatori, ille ira commotus de ſede exſiluit, ad feneſtram properavit, eâque cum impetu apertâ, Urbem proſpectans, *Praga*, inquit, *ingrata Praga, per me glorioſa facta es. Nunc autem repellis me benefactorem tuum. Vltio Dei ſequatur Te, & maledictio ſuperveniat Tibi Praga, & toti Bohemiæ* &c. Hæc omnia ex ore ipſius Baronis Schmidii, audivi in arce ſua Kunſtat, Anno 1626. qui hæc annoto. Ubi cùm pius ſenex (pluſquam

quam septuagenarius) Torquem illam, Ordini Paci insigne dicatum, è profundis scriniorum protractam mihi ostenderet, lacrymisque consper-geret, *Hanc*, inquit, *pius Cæsar sanctis suis manibus confecit*. Et mox: *Maledictio piissimi Cæsaris, erga quem ingrati fuimus, incidit in nos.*

5. Propositum illud de Ordine Pacis fundado, Euangelicis proculdubio tam plausibile, cur non processerit, mirum videri queat. Posset nonnemo forsan cogitare, politicis aberratum fuisse consiliis, quod hæc res non aliter, & per alios, inceptata sit. Sed altiùs si respiciamus, Dei fuerunt judicia, Gentem nostram, quin & Germaniam universam, ad pœnam trahentis, hostibusque simul ut implerent jam tandem mensuram Patrum suorum permittentis. Impleverunt enim usque ad summum; nosque perdiderunt penitus. Quam historiam per collectas hinc inde particulas recitabimus: totam dare nondum possumus. Quia machinæ illius Antichristianæ, dudum in occulto fabricatæ, qua displosi sumus, exteriora tan-

tantum adhuc patent: interiora ut detegat dies, exſpectandum eſt.

6. Nos tamen ſub Matthia jam illaqueati, perniciem noſtram non ſenſimus: quinimò tanquam Libertati Conſcientiæ optimè conſultum eſſet, exſultavimus. Cum ecce novæ ſe hinc & hinc produnt hoſtium machinationes: nunquam tamen apertius, quàm poſtquam evenit, quod eventurum pius ille Rudolphus metuebat: ut Ferdinandus ex Stiria ad Regni ſceptra promoveretur.

CAP. XLII.

Bohemis juratus Euangelicorum hoſtis, FERDINANDUS II. *Rex obtruditur.*

ANno 1617. venit inſperatò in Bohemiam Matthias, comitatus patruele ſuo, Ferdinando: Ordinibusque ut ad Comitia celeriter confluerent

fluerent mandato dimisso, secessit ad Saxoniæ Electorem Dresdam, illius amicitiæ insinuaturus Ferdinandum. Inde reversus Comitia celebrat, Ordinum paucioribus spe (sed non voto) comparentibus. Tempus enim messis erat, studio (ut videtur) electum, ut ab Oeconomicis suis occupationibus non cuivis facilè abstrahi volupe esset.

2. Ibi Cæsar improlem se decedere questus, Ferdinandum sibi adoptatum esse in filium docet, virtutes commendat, RECIPI, ac coronari petit. Respondent Ordines, rem tantam absentibus accorporatarum Regno provinciarum Ordinibus agi non posse. Instat Cæsar, Bohemiam esse caput: quidquid illi egerint, ratum habituros cæteros. Se languere magis magisque, differre in aliud tempus negotium hoc non posse. Eô ventum, ut ordines tandem protestarentur, *terminum illum*, *RECIPI IN REGEM*, *novum esse: Eligi oportere antequam recipiatur*. Sed hæc omnia technis variis, etiam privatis quorundam allectionibus, aliorum vero terrifi-

rificationibus, elusa & elisa sunt. Vnde & factum, ut nonnulli liberis vocibus non esse locum videntes discesserint. Qui autem perstiterunt, & Coronationi interfuerunt, hoc saltem effecerunt, ut antequam coronaretur, reversales literas Ordinibus daret, quibus se obstrinxit, *Matthiâ vivente nihil se in rebus Bohemiæ, multò minùs Religionis, tentaturum.* Coronatus ergò est, & mox in Moraviam, inde in Silesiam & Lusatiam progressus, ut RECIPERETUR impetravit.

3. Atque ex hoc tempore hostes, confidentiores facti, & impotentius sese jactare, & Euangelicis mala ominari, juxtà & apertè minari, cœperunt. Ferdinando enim mox in Moraviam, ad accipiendum homagium descendente, Iesuitæ arcum triumphalem Olomutii erigunt, illique inter alia ornamenta Insignia Austriaca, cum alligato catenâ hinc Bohemico Leone, inde Moravica Aquilâ, appingunt: substrato apertis oculis dormiente Lepore, & huic suprascripto emblemate, ADSUEVI: illu-

lludentes ſcilicet in os Ordinum, ita
eſe ligari & adſtringi patientium, ſo-
nnolentiæ. Sequente verò anno pro-
diit Moltzheimii Alſatiæ, ex recens
undata Jeſuitarum Academia, libel-
us in cujus Dedicatione ad zelum a-
nimantes Leopoldum, Academiæ
undatorem, Sereniſſimi Fratris ſui
rgent exemplum: quòd *utut hæreticis
n Bohemia ſub coronationis horam præſti-
iſſet de more juramentum, priùs tamen
n Sacrario Eccleſiæ depoſuiſſet, nihil ſe
nquam Hæreticis in Eccleſiæ fraudem con-
eſſurum.*

4. *Et vero Ordinibus ore, Papæ ſuo
orde, juraſſe Ferdinandum ſatis ſuperque
mox patuit.* Quippe ab illo tempore
nihil non tentatum eſt, quô Euange-
licis ægrè fieret: aut ad convellen-
dum eorum jura fraudibus, aut ad ex-
pugnandum patientiam, ut oppu-
gnandi ſui darent anſam ipſimet, a-
pertis injuriis. Mox enim à Ferdi-
nandi diſceſſu aggreſſi ſunt, non ſo-
lùm Archiepiſcopus & ſpirituales, ſed
& ſeculares, Pontificii, *Slawata Smec-
zansky*, alii: (in Moravia verò Olo-
mucenſis Epiſcopus; Promarchio i-

tem *Ladislaus de Lobkowitz*, Holeschoviæ Dominus) contra expressissimam Literarum Majestatis cautionem, subditos suos Religionis nomine vexare. Mox in ipsa quoque Praga, Civitatibusque Regiis liberis, variè idem tentatum. E Jesuitarum cathedris proscindebantur convitiis liberrimè, non Euangelici solùm, sed & benignissimus ipse jam rebus humanis exemptus Rudolphus, ab illoque concessa Regno Religionis Libertas; cum interspersis subinde minis, atque ominationibus, non diuturnam fore.

5. Interdictum etiam peculiari mandato Typographis, ne quidquam, nisi à Cancellaria Regni revisum & concessum, typis describerent: suis interim quosvis infames libellos, & injuriosa in Euangelicos scripta, vulgantibus. Data quoque ex eadem Cancellaria Urbium Pragensium Capitaneis & Judicibus Cæsareis (qui Pontificii erant) nova Instructio: quâ jubebantur Templorum fundationes in Originali à parœcianis flagitare; Conventus illis nullos, nisi se præsentibus, concedere: Præfectos parœciarum,

iarum, æditimosque, sub Vna intermiscere (quod & factum in quibusdam Templis:) tandemque Defensoribus & Consistorianis exsequutorium juris processum negare.

6. Clanculum insuper tractabatur cum Pastoribus, quos ad Pseudo-Hussitismum retrahi posse credebant, ut supplice ad Regem dato libello, novum sibi Consistorium sub Utraque, ad prioris formam (sub Archiepiscopi nempe obedientia) poscerent: jamque eorum duodecim in nassam pertracti, subscripserunt: sed præcipuo illorum, *Matthæo Paczula* (quem Administratoriæ dignitatis spe lactabant) cùm morbo correptus morti se vicinum videret, ad se redeunte, perfidiæ culpam deprecante, complicesque à facinore dehortante, technæ istæ ad nihilum relapsæ sunt.

7. Facinore isthoc non succedente, tentatum mox fuit aliud. Bethleemiticum Templum, jam olim à fundatione sua Academiæ dicatum, concessum nuper fuit à Consistorii Reformatione (1609) FRATRUM usibus.

usibus. A morte igitur istorum Senioris, *Matthiæ Cyri* (1617.) Papistæ litem illis intentant, Templumque eripere conantur: sed Academiæ Professores, jure suo usi, novum Seniorem, *Iohannem Cyrillum*, solenlenni ritu introducunt. Similiaque alibi alia, sed sine successu adhuc, tentant.

8. Ademptus quoque fuit *Comiti Turnensi* novo prorsus exemplo, & contra Regni statuta, nullâque interveniente culpa (nisi quod se in nuperis Comitiis pro libera Regis electione liberius opposuisset) Burggraviatus Carelsteinensis, (i. e. Coronæ & Privilegiorum Regni custodia) tradituſque acerrimo Euangelicorum hosti, *Smeczanio*: forsan ut ille, quod Religionis Privilegium inhibere nuper non potuit, id arte aliquâ incipere posset. Is igitur Dominii istius subditos, Baptismum & sepulturas prohibendo, turbare mox cæpit.

9. Pergunt iidem hostes alibi, Euangelicorumque Templa, in Archiepiscopali oppido *Grob*, & Abbatis Braumowiensis *Braumow* recens

(vi

(vi literarum Majeſtatis) exſtructum diruunt. In Krumloviana item, ad Regem ſpectante Dynaſtia, Euangelicorum ſubditorum perſequutionem ordiuntur, &c.

CAP. XLIII.

Bohemi ſæpiùs irritati, ad arma ruunt.

DE his & aliis (quæ in Ordinum Apologia recenſentur) ſæpius admoniti Defenſores Academiæ & Conſiſtorii ſub utraque, congregantur ſub Anni 1618. exordia Pragam, atque poteſtate ſibi jam olim ab Ordinibus factâ, Literisque Majeſtaticis à Rudolpho roboratâ, è ſingulis Diſtrictibus perſonas ſex (duos è Baronibus, totidem ex Equeſtri & Civico Ordine) evocant, ut quid in tanta adverſariorum inſolentia facto eſſet opus, communibus votis deliberaretur. Sed advolat mox Cæſaris nomine interdictum, ne Defenſores quen-

quam convocare, ne quisquam vocatorum comparere, attentarent: aliàs criminis læſæ Majeſtatis futuros reos, Cæſarem enim Regni ſui defenſorem agnoſcere neminem, præter ſeipſum.

2. Conveniunt nihilominùs, majori etiam numero Ordines: cumque novæ intermiſcerentur ſubinde inhibitiones atque comminationes, & Ordines ſufficientiſſimis documentis cognoſcerent, non Wiennâ (ubi reſidebat Cæſar) illa afferri, ſed in ipſiſſima Arce Pragenſi à Vicariis cudi, indeque vibrari fulmina iſta: verſa eſt ſubito in ſeveritatem toties læſa Patientia, illique magno agmine armati Arcem conſcendunt, authoreſque omnium turbarum præcipuos, *Smeczanium & Slawatam*, unà cum Secretario *Philippo Fabricio* omnium technarum conſcio, è feneſtris Arcis præcipitant: Conſilio quidem fortuito, & parùm deliberato, vi tamen proteſtationis ſuæ jam Anno 1609. in hos pacis turbatores (Popelius enim abfuit) factæ. Hoſtes miraculum interpretati fuerunt, quòd præcipitato-

rum nemo vitam amisisset: sed non adeo mirum esse potuit homines in terram mollem chartisq; repletam (sub Cancellariæ fenestra) procidentes illæsos mansisse. Ominis potiùs fuit, quòd istos in flagella Bohemis servatos vellet Deus.

3. Exsequutione sic in illis inchoatâ, & suborto inde per Urbes Pragenses tumultu sedato, *Ordines Iesuitas, tanquam primarios turbarum architectos, & quorum isti instrumenta duntaxat essent, Regno proscribunt* (Anno 1618. 23. Maji.) *Quæ res bello Religionis, quô hactenus flagrat Europa, optatam hostibus occasionem dedit.* Quanquam enim Bohemi ad Cæsarem mox factâ legatione, nihil se adversus Regiam Majestatem attentasse, turbatores tantùm publicæ pacis (vigore non solùm Majestatis literarum, sed & factæ tùm Protestationis suæ) punitos esse protestabantur, Cæsaremque ne aliter factum interpretaretur submissè orabant: Cæsar tamen, instigante Ferdinando & Ligâ, injuriam læsæ Majestatis armis ulcisci, Bohemi contrà armis sese tutari

conſtituunt: iſtoque quaſi Interregno Directores ſibi 30. eligunt; Sileſiis & Moravis mox etiam in Bohemorum partes, cùm Religionis negotium agi viderent, tranſeuntibus.

4. Atque hoc quæſiviſſe hoſtes, eoque fine tam variè irritaſſe Bohemos, ex eo patuit, quòd Ieſuitæ ſibi de oblata jam occaſione ſubjugandi totaliter Bohemos gratulati ſint: ut in Apologia ſua ex interceptis iſtorum literis, Ordines demonſtrârunt.

5. Sed & inter Conſiliarios Cæſaris qui moderatiora ſuadebant, auditi non ſunt. Ipſe *Cardinalis Cleſelius*, Epiſcopus Wiennenſis, quòd bellum diſſuadebat, à Legato Hiſpanico veluti Domûs Auſtriacæ proditor apud Cæſarem accuſatus, incarceratusque eſt. Ferunt, cùm Cleſelius de tam florentis Regni certò conſequutura devaſtatione (ſi deſperatè Libertates ſuas defēdere permittantur) diſſereret, Ferdinandum reſpondiſſe: Wir wollen lieber ein verwüſtetes / alß ein verdamptes Königreich haben: *Malumus Regnum vaſtatum quàm damnatum.* Immiſſus ergò Bohemiæ exercitus, primo Cæſareus,

duce

duce *Dampiero*; mox Hispanicus, duce *Bucquoio*.

6. Moritur interea *Matthias*: Bohemique cum Moravis, Silesiis, Lusatis, num Ferdinandus, tam apertus jam Religionis & Libertatum suarum hostis; & quem sibi nuper non suâ voluntate elegissent, sed per fraudes sibi obtrusus fuisset; & denique qui contra reversales suas Literas Matthiâ adhuc vivo rebus sese immiscuisset, armisque se oppugnasset: ad successionem Regni esset admittendus: deliberant, & admittendum non esse concludunt. Quod & Legatis missis Francofurtum, (ubi ad electionem Imperatoris novi congregati erant Electores) docent, Ferdinandumq; nomine Regis Bohemiæ, quem illi Regem non agnoscant, non admitti petunt. Sed frustrà: admissus enim est, & mox Imperator salutatus, Bohemis interim Regem sibi eligentibus *Fridericum Palatinum*.

CAP. XLIV.

Bohemi victi tempestatem subeunt horrendam.

QUâ re irritati Ligistæ, demùm aguntur in rabiem, collectisque majoribus viribus in Bohemiam denuò, duce Maximiliano Bavaro, irruunt, Prachaticium & Pisek (oppida Orthodoxa) expugnant, civibus (ut res aliis esset terrori) ad internecionem deletis: magnasque passim Euangelicorum strages edunt. Ventum est Pragam usque, Regni Metropolin, quæ superatis ad ejus mœnia prælio (1620. 8. Nov.) Bohemis, Regeque novo pulso, & panico quodam terrore ubique excitato, deditione accipitur, ut & tota Bohemia, Moravia, Silesia: Victore quidem sanctè fidem promittente, sed pòst nonnisi ex Constantiensis Concilii tenore, datam servante.

2. Atque hîc demum lamentabilis esse cœpit Ecclesiæ Bohemicæ facies, exci-

excitatâ atrocissimâ illâ persequutione, quæ ultimam attulit Euangelicis ruinam ac dissipationem. Alio enim modo quàm olim in Anglia, Belgio, Gallia, rem aggressi sunt: plus damni mitiori processu, ut videri voluit, afferentes, quàm nuper impotenti illo furore cùm gladio, igne, rotâ, in fideles desævirent. Quod inventum Babylonicæ meretricis, ut blanda videri volens, trunculentiâ minùs à se absterreret, novum fuit. Prorupit enim, & palàm est, istorum arcanum, quô, cùm Romæ inter medios belli apparatus Anno 1617. in secretiori consilio deliberaretur, quinam processus adversùs Bohemos, & dehinc Germanos & alios, victos instituendus esset? conclusum erat; *Quandoquidem reipsâ deprehensum esset, fortiores illas purgationes ad hæreseon morbos pellendos hactenùs adhibitas, parum profuisse; tentandum jam esse, utrùm commodâ diætâ curari possint. Hæreticos itaque non mortibus afficiendos (quibus illi tanquam martyriis exultarent) sed aliis viis fatigandos, & ad obedientiam reducendos esse.* Proinde *& odiosum illud*

ac durum Inquisitionis nomen, in mollius, Reformationis, commutandum.

3. Atque juxta hoc decretum adversùs Bohemos, Moravos, Silesios, processum est, ut omnes ferè puram professi Euangelii doctrinam, oppressi sint, & tantùm non deleti; paucissimis martyrii gloriam adeptis. Aliquoties quidem *Don Martin de Huerda* (natione Hispanus, opificio sartor, sed qui ab adolescentia in Bohemia degens, primùm raptu Comitissæ Seriniæ, familiæ à Kolowrat, sese nobilitaverat, inde militaribus ausis ad Baronalem usque dignitatem evectus, & multis opibus auctus fuit) gloriari, idque in os Euangelicis, auditus est; se, cùm victoriæ nuntius Wiennam advolâsset, Cæsaris adstitisse lateri, authoremque fuisse, ut indiscriminatim cædi juberet, ne tam rebellis & hæreticæ Gentis ullum superesset vestigium. Cæsarem vero respondisse, *Datam jam esse per Bavariæ Ducem gratiæ spem; non defuturos tamen modos, quibus hæresis & rebellandi libido gentis efferæ retundatur.* Qui autem illi

li fuerint modi, ex eventu & praxi patuit: quod jam enarrandum erit, sed strictim & compendio.

4. Si enim omnes adhibitæ vel callidæ imposturæ & fraudes, vel atroces pressuræ & vexationes, percenseri deberent; & acriori sagacitate, quàm quæ in columbinam Gentis nostræ simplicitatem cadit, opus foret, & vastiora Volumina, quam præsens institutum patitur, condenda essent. Quod enim Euangelista dixit, Si benè facta Christi omnia sigillatim essent describenda, mundum vix capere posse libros illos: id de Antichristo quoque dici potest, malè facta ejus eô astutiarum & malitiæ processisse, ut vix Mundus capiat. Hoc protestamur in Dei conspectu, in iis nos quæ collegimus & recensebimus, bonâ fide versatos esse, quamvis non omnia particularibus exemplis, vel ob brevitatis studium, vel quòd non omnia in hac adhucdum durante dispersione, colligi potuerunt, satis apertè demonstrata sint.

5. Di-

5. Dicemus autem distinctè :

I. *Quomodo in genere processum sit ?*

II. *Quomodo adversùs Verbi Ministros ?*

III. *Quomodo adversùs Proceres & Nobilitatem ?*

IV. *Quomodo adversùs Civitates liberas ?*

V. *Quomodo adversùs Plebem ?*

VI. *Quomodo cum Templis, Libris, Xenodochiis, Demortuis, &c. actum sit ?*

VII. *Exempla addemus prodigiorum & pœnarum, qnibus Deus aliquoties hostes exterruit.*

VIII. *Tandem de reliquiis Bohemorum qui in atroci hac persequutione invicti Fidem servârunt Deo, aliquid adjiciemus.*

CAP. XLV.

Processus generalis adversùs omnes. Initium factum ab Anabaptistis.

DIxerunt in corde suo, inquit Psaltes, *Saeviemus in eos pariter* (Ps. 74. v. 8.) quae vox hostium Ecclesiae eadem est perpetuò, idem semper animus, *Saevire in omnes, tametsi alios post alios.* Saevituri ergò in nos quoque hostes nostri, initium fecerunt, altero post victoriam anno, ab *Anabaptistis in Moravia*: qui circiter quadraginta quinqne possidentes domos, seu Collegia (singula à plurimis simul familiis habitata) suâ sub disciplina, & rerum communitate more suo usi, pacatè vivebant, nemini molesti aut graves, omnibus potius commodi, opificiis nempe & officiis suis. Hos illi primùm (culpâ illis assignatâ, quòd Fridericum, Moraviam transeuntem hospitiis excepissent) Anno 1622. sub Autumnum proscripserunt.

Vadum

Vadum nimirùm tentantes: ut si hoc processisset, reliquos adorirentur confidentiùs. Illi, relictis domibus, agris, vineis, (quanquam vindemiandi jam instaret tempus) magnis agminibus (imbecillem turbam aliquot centenis curribus secum trahentes) in vicinam Hungariam & Transylvaniam commigrârunt commodisque inventis sedibus, plurima quæ reliquis nobis pòst exantlanda veniebant, mala evitârunt.

2. His amotis, consultasse dicebantur de ejiciendis Piccardis, quos vocabant, & Calvinianis: sed hoc non æquè successurum videbatur. Primò, quia multos Procerum utrique illi habebant à partibus suis: quorum quidam nullâ re Cæsari fidem suspectam fecisse videbantur. Nec igitur color poterat reperiri, cur omnes eidem involverentur pœnæ: nec tam facilè horum proscriptio in effectum deduci, ut Anabaptistarum omni humano præsidio destitutorum. Tùm non æquè discriminari potuissent Calviniani à Lutheranis, ut ab Euangelicis Anabaptistæ. Denique, nondum tem-

pus

pus fuit Reformatæ Religionis Principes ac Reges irritandi. Conclusum proinde, hos junctim eôdem haberi censu, ut promiscuè, prout se opprimendi eos darent occasiones, adorirentur.

3. *Generalem itaque illis fuisse scopum. ut misere exagitatos Euangelicos, desperatione ad apostasiam adigerent, fidelesque reliquias ejicerent faciliùs, eventus docuit.* Quod inventum fuisse secretioris Romæ consilii, diximus antè (Tit. XLIV. §. 2.) ursitque id hîc imprimis diligenter callidus pragmaticus, *Paulus Michna.* Qui obscuris parentibus (Lanionis in oppido *Budin* filius) ortus, sed Iesuiticis artibns instructus, ab ipsis primùm ad Regni Secretariatum promotus, tùm ob benè navatam Austriacis adversùs Patriam & Religionem operam, Eques, mox opulentissimus Baro, tandem Comes creatus fuit. Hunc, cùm victoriâ stabilitâ, à technarum fabricatoribus deliberaretur, quid jam faciendum foret? jamnè Regno pellendi essent? &unde sumendum initium? respondisse proditum est, *Nondum eße tempus; eô quod*

eò quòd multa ſecum ablaturi, provinciam deſpoliaturi, exilium faciliùs toleraturi, eſſent. Emungendos priùs eſſe, atque exuendos omnibus bonis: expeditiùs pôſt proceſſura omnia. Id igitur aggreſſi ſunt, his modis.

CAP. XLVI.

Exactionum Onera.

RECeptâ per deditionem Pragâ, poteſtas militibus facta eſt Procerum & ditiorũ Civiũ domos diripendi: non tamen niſi per dierum intervalla, & plerumque nocturno tempore adornatis variè proditionibus, à larvatis militiæ Præfectis. *Quâ ratione aliquot auri milliones Euangelicis fuiſſe ereptas, jactabant ipſimet hoſtes: nec fit vero diſſimile.* E toto ſiquidem Regno omnes omnium penè theſauri, cimelia, & optima quæque mobilia, iſthuc tanquam ad ſecuritatis centrum, bello durante, congeſta fuerant; nemine, quàm Deus pararet tergis noſtris virgam,

gam, animadvertente. Hæc autem intra mœnia Pragæ opima præda nonnisi primoribus hostium cessit: reliquorum libidini vicinia fuit exposita, ubi Germanus, Italus, Hispanus, Gallicus, Polonicus, Croaticus miles (tantâ enim gentium Antichristo sub Cæsaris nomine militantium colluvie inundati fuimus) plenâ licentia grassatus, Pagos, Oppida, Parochias, Templa, Arces dispoliabat, non absque incendiis & cædibus.

2. Dispositæ exinde per Districtus & Urbes stationariæ legiones, non solùm lautissimè tractari, sed & pecuniam sibi quotidie numerari voluerunt, & necesse fuit.

3. Mox dimissi commissarii, qui Civitatibus & Nobilitate in Cæsaris fidem receptis, securitatem promitterent; eâ tamen conditione, ut singuli Barones, Equites & Communitates, etiam Parochi, pro exsolvendo & numerando militi stipendio grandem æris vim conferrent: non gratis (ut dictitabant) sed mutuò. Qui se faciles & liberales exhibituri essent, illis promittebatur Cæsarea protectio; reliquis

reliquis militum furor & bonorum direptio denuntiabatur. Nec tamen eô acquiescebatur, quod quis ultró & pro facultatum modo offerret; sed in contrahentium formam licitabantur, ad certam usque summam, quam intra dies aliquot exsolvendam tabulis ad id peculiariter factis inscribebant: centenos nempe, millenos, bis, ter, sexies, &c. millenos florenos. Et quia post exsoluta stipendia militem abducendum pollicebantur, eô alacriùs portiones singuli suas pendebant, etiam argentum non signatum, & cimelia, promptâ manu proferentes.

4. Dimissi paulò pòst alii Commissarii, qui à Nobilitate ad sustentandum præsidiarium Regni militem (potior enim exercitûs pars in Moraviam & Hungariam abducebatur) & ad frumentariam contributionem certas Urbes, in quibus publica constituebantur granaria exigerent: quæ res multo iterum pretio & labore omnibus constitit.

5. Lactabant interim vanâ spe abducendi militis de die in diem omnes: nec

nec abducebant tamen, ſed conſcribebant ſubinde novum, novis cum preſſuris, contributiones ad impoſſibilitatem uſque adaugendo; etiam illis in locis, quæ ad apoſtaſiam adegerant. Cùm enim nonnulli immunitatis à contributionibus & milite alendo ſpe ad Veritatis abnegationem allecti, promiſſis non ſatisfieri quererentur, reſpondebant Ieſuitæ: *Deſinerent mirari, proceſſum hunc ſalutarem eſſe. Cum hæreticis enim velut cum infantibus aut furioſis eſſe agendum, quibus ſi cultrum aut gladium extorquere velis, oſtentandum eſſe, & blandè promittendum, aliud quid, etiamſi non detur. Contenti itaque eſſent, quòd animabus ſuis eſſet conſultum, eoque promptiùs contribuendo & militem alendo, Cæſaream Majeſtatem, gratitudinis loco, adjutarent.*

CAP. XLVII.

Monetæ horrenda adulteratio.

DUm ita Regnum auro & argento emungitur, cudi jubet Cæſar monetam cupream, argento tamen, vel argenti ſpuma, tinctam, eamque variæ ſortis, & tantâ copia, ut plebecula, fucum non advertens, omnem ſibi imaginaretur abundantiam: milite interim nil niſi monetam probam extorquente. Auri enim & argenti valor ad decuplum uſque aſcenderat; ut ſolidus Imperialis nummus florenos Bohemicos 10. Aureus Hungaricus 18. penderet. Sed inopinatò Cæſar (Anno 1624) monetæ iſtus valorem minuit, & nummum quemvis decimam ſolùm partem valere jubet: quare incredibile in quas anguſtias conjecti fuerint omnes. *Ferunt Paulum Michnam technarum architectum* jactâſſe, *compendioſiùs ita emunctos Bohemos, quàm ſi perpetuo milite annis decem fuiſſent preſſi.*

Et

Et verò asseverabant rerum periti, plùs utique damni fuisse datum, quàm si media Regni pars in cineres fuisset redacta.

2. Tandem, post exhaustam quam quis in loculis habuit pecuniam, debitorum ratione id ordinatum fuit, ut quod Creditor quis sub rebellione cuique dedisset mutuò, perderet totum: quod ante rebellionem, amitteret fœnus & de sorte remitteret partem: reliqui autem solutio in decennium differretur. Promulgatum id Cæsareo diplomate, Anno 1628. 18. Augusti.

CAP. XLVIII.

Illusionum protervitas.

H*Æc ad desperationem nos adigendi prima fuit via, per depauperationem. Altera fuerunt variæ, quibus rebus nostris ut conclamatis insultabant, insolentiæ.* Taceo plausus & jubila, quibus perstrepebant Templa, Curiæ, Fora: Taceo libellos infames, picturas

ras insolentes, sermones protervos, quibus ipsimet sibi blandiebantur, in nos verò sese mutuò armabant: hoc dolori fuit piis cordibus, inconstantium verò animos dejiciebat, quòd sermonibus & factis immutabilem sibi victoriarum cursum, nobis plenarium & inevitabile exitiũ, pollicerentur. Quos enim constantiores & exilio jam paratos videbant, ridebant tanquā stolidos, qui sibi, quæ nusquam nisi sub Cæsaris & Papæ obsequio esset, imaginarentur, securitatem. *Quô insani vos proripitis?* inquiebant. *Vbi gentium Cæsaris effugere manum speratis? quod hic fieri videtis, propediem ubique fieri videbitis. Mundum universum ad Catholicismum redire, intra paucos annos experiemini. Cur igitur alibi cum trepidatione, & rerum vestrarum jactura, exspectare, quàm hic alacriter subire, mavultis? Dulce solum Patriæ! cujus vos desiderium ferre non poteritis, vel conficiemini mœrore, vel majore cum confusione redire voletis: incertum autem utrùm tunc Cæsareæ gratiæ fores, æquè ut tunc, futuræ sint patentes.*

2. Promittebant etiam, suo & Cæsaris nomine, tàm pro cathedris publicè,

cè, quàm in colloquiis privatis, *ſi quidquam erroris Catholicæ ſubſit fidei, & in converſione hac periculi, id totum in ſe recepturos, ſe rationem reddituros Deo, ſe animæ ſuæ periculo eos liberaturos omni metu.* His & ſimilibus, jam blandis, jam minacibus verbis, languefaciebant ſimplicium corda; remotisque Verbi Miniſtris, atque Libris utilibus (ut pòſt dicetur) ſenſim complures dementabant, ut veluti Sirenum cantu ſoporati, abſorberi ſe in abominationum abyſſum paſſi ſint.

3. Atque illi erant *Apoſtatarum primitiæ*, qui antequam aliquid adverſi fuiſſent paſſi, Chriſto relicto in Antichriſti tranſibant caſtra. Qui deprehendebantur rigidiores, hos meretriciâ blanditie in beſtialem furorem versâ, minis, proſcriptionibus, verberibus, mulctis, carceribus, & variis afflictionum generibus, excarnificare aggreſſi ſunt: de quo infrà.

CAP. XLIX.

Reformatio Vniversalis.

ORdinabant interim Commissarios Reformationis, Jesuitas & Monachos, Nobili aliquo vel Barone adjuncto; qui districtus, oppida & vicos obeundo, hæresin dedecorent, Romana sacra commendarent, introducerentque: ad apostasiam primario quosvis honorum & bonorum pollicitationibus invitantes, reliquam turbam horum exemplis dementantes, minisve adigentes. Tandem, vibrato in Ordines superiores proscriptionis fulmine, supremi Reformationis Commissarii (Anno 1627.) constituti sunt; *Archiepiscopus Pragensis, Cardinalis de Harach Abbas Strahoviensis; Iaroslaw Borzit Comes de Martinitz (vulgò Smeczansky; Fridericus de Tallenberga; & Christophorus Wratislaus.* His naucleris universalis apostasiæ in Regno nostro navis commissa: sed quam illi gubernandam suscipere (suasore Smeczanio) recusabant

ſabant, niſi ſub abſolutæ poteſtatis conditione, ut quicquid illi in quenquam ſtatuiſſent, id nè Cæſari quidem immutandi, nemini verò ad illum provocandi, jus eſſet. *Ita pro Inquiſitionis in Hiſpania Senatu, Reformatorum ſummum Tribunal conſtitutum*: à quo emigraturi teſtimonium petere juſſi, variis priùs cenſuris, ſolicitationibus, proteſtationibus, per Jeſuitas tentationibus, divexabantur. Si quis recuſabat, *Vtrùm ſaltem diſcere vellet*, interrogabant. Si annuebat, terminum vel præfigebant ipſi, vel eligendum dabant. Et hunc quicunque admiſit, actum de eo fuit. Mox enim ei dabatur Pater Sacrificus, qui infeſtaret quotidie. Multi vel tantillam moram lucrandi causâ, ut ſua diſponerent meliùs, ſubibant iſtam moleſtiam: cùm autem termino decurrente dicerent, non ſe intra conſcientiam aliud quàm hactenus agnoſcere, illuſiſſe dicebantur Cæſareæ Majeſtati, novaque ſubibant pericula. Particulariùs autem, quomodo lepidi illi Reformatores rem egerint, in-

frâ ſuis locis plura commemorabimus.

CAP. L.

Proceſſus adversùs Verbi Miniſtros: Primumque varia ſparſim per militarem in hos licentiam edita crudelitas.

PRæludium futuræ in Miniſtros Verbi tyrannidis erat militis Cæſarei, etiam ante victoriam, in eos, qui in eorundem inciderant manus, barbara licentia. Inter eos, qui hanc experti, memorare libet, *Wenceſlaum Weticium*, Biſtricii (ſub Hoſtino) in Moravia Paſtorem: quem Poloni milites, hâc in Auſtriam ducti, morbidum & lectulo affixum, neque ſeni neque morbi habitâ ratione, non ſolùm ſpoliârunt, ſed & plumbeâ glande trajecerunt, 5 Febr. 1620. ut & ſequente die *Paulum Capitonem*, oppid

pidi Napajedli Paſtorem, domi iti-
dem ſuę vulneribus aliquot confoſſum,
crudeliter trucidârunt.

2. Similiter captâ Pragâ, primum Antichriſti furorem experti ſunt Paſtores quidam in tractu illo, deinde & alibi. Nam poteſtate militi factâ prædas faciendi, omnia ſibi in hæreticos Miniſtros licere arbitrati ſunt. Memorabimus quædam.

3. *Paulus Mollerus* Paſtor oppidi Zrutſche, concionem ad populum habens à Cæſareanis factâ irruptione, in Templo glande trajectus exſpiravit.

4. *Martinum Mareſch* Paſtorem in pago Krzeſſin, Patronus ſuus (Dn. Smilo de Lukawetz) à graſſabundi Antichriſtiani ſatellitii metu in tutiorem deduxerat locum. Illi ſimul ut irrumpunt, Ludimagiſtrum *Fridericum Damborsky*, comprehenſum & funibus vinctum, ubinam loci Dominus & Paſtor eſſent, aut quô abſcondiſſent theſauros, examinant. Ille neutrum ſe ſcire: illi inſtare, negantemque theſauros, colaphis primùm, mox fuſtibus, cædere, tandem latere nudatum tam crudeliter igne ad-

moto ustulare, ut ille doloris impatiens, thesauri commonstrationem promitteret. Monstravit igitur scrobem quandam lapidibus oppletam; quam illi auri aviditate mox evacuant, nulloque reperto thesauro, miserum clamoribus & pugnis obruunt. At is nullum se thesaurum scire, præ doloris vehementiâ istud dixisse, fatetur. Transverberatum itaque globis aliquot in eam ipsam foveam deturbant, lapidibusque obrutum eo modo sepeliunt. Tertiâ dehinc die incidunt sanguisugæ in ipsum Pastorem, in pago Popowitz, eumque torturæ subjectum miserè excarnificant, semimortuumque relinquunt. Rediit tamen ad se, & quinquennium adhuc supervixit; sed filias duas, quas pessimi homines nefario cum abusu secum abduxerant, nunquam post conspexit.

5. *Wenceslaus Iakessius* Kaunicii, quarto à Praga lapide, Ecclesiasten egit: quem captum & Kostelecium cis Albim deductum, ultrà mensem variè excogitatis ludibriis divexârunt. Inspuebant enim in faciem; cædebant

bant colaphis, cædendumque levissimo cuique tradebant; fune nodoso cinctum caput baculi ope ad protuberantiam usque oculorum contorquebant. Immiserunt item ei, in aream producto, ferocissimum equum; qui tamen, ut ei appropinquavit, transiliit, illæsumque reliquit. Tandem interveniente quingentorum florenorum lytro, vix ægrè liberatus est. Captus cum ipso fuit Czelakowiensis Pastor, *Paulus Welwarius*, quem (quod opulentior haberetur) acrius agitarunt, jam carbonibus, jam glaciei superimponentes, donec mille quingentos florenos persolvisset: post aliquot tamen dies, doloribus illis confectus, exspiravit.

6. *Andreas Stembergius* Budinus, per 15. equites è sua Parochia Kostelicium delatus, mox fune caput circumtorto vehementissimè cruciatus fuit. Cùm verò, manus ad terga loris constrictum, pedes autem funiculo benè crasso vinctum, resupinum projecissent, servandum torturæ ignis matutino tempore: ille media nocte miraculosè liberatus fuit. Precibus enim

intentus, cum inter alia hæc Pſalmi verba, *In te Domine ſperavi*, recitaret, ſenſit ſibi manus & pedes laxari; & mox ſolutum ſe vinculis animadvertit. Erigit itaque ſe, ad januam accedit, excubitores (quorum tres adſtabant, unus januæ manubrium manu tenens, omnes tamen velut rigeſcentes, ſive quòd obdormiſſent, ſive quòd à venti horrendo ſonitu, qui de repente obortus erat, ſtrepitum non ſenſiſſent) pertranſit, ad portam demum Oppidi, ab excubante ſcolpetario agnoſcitur. Is autem quia Bohemus fuit, precibus & commiſeratione victus, non dimittit ſolùm, ſed & per pontem ad alteram fluminis ripam deducit.

7. *Iohannes Moyſes*, Paſtor fuit Reginæ Meſtecenſis, quem cum uxore captum, crudeliſſimis flammis ad mortem uſtularunt.

8. *Simon Antecanius*, in Oppido Horzicz prehenſus, & ad palum ſuſpenſus, vehementer igne uſtus eſt, donec, quicquid pecuniæ haberet, indicaſſet.

9. Bakoviæ Paſtor (nomen excidit)

dit) eodem modo in transversa hypocausti pertica (à qua, gentis more, vestes & alia suspendi solent) suspensus, igne supposito ad mortem usque afflatus.

10. Mimonensis verò Pastor ab irrumpentibus prædæ causa Polonis, frustulatim concisus fuit.

11. Aurenouwsii Pastore (*Andreâ Iacobide*) fuga elapso, furorem in Quæstoris adolescentem Scribam, effuderunt: in quo egregium Catholicæ pietatis specimen editum fuit. Misero enim homini supino humi strato, os pulvere pyrio oppleverunt, accenderunt, fauces dilaniarunt, talique horrendo spectaculo diabolicum oblectantes animum crudeliter enecarunt.

12. *Adamus Pisecius* Pastor fuit Byteschii in Moravia, in ditione Illustrissimi *Caroli de Zerotina*; qui ob fidem à Patrono suo Cæsari servatam nihil mali metuendum ratus, ingredientes ad se milites, humaniter, verbis & dextrâ porrectâ, excepit, & hospitalitatis omnia officia præstitit. At illi, ut Ministrum agnoscunt, in rabiem acti,

primùm verberibus malè multant, tùm in Templi porticum fugientem obtruncant, veſtibus nudant, domum totam diripiunt. Cùm autem pii quidam ſepulturæ honorem exhibituri tunicâ induiſſent, accurrentes milites eandem detrahunt, & dilacerant, novaque rabie correpti Bibliothecam ejuſdem tribus diſpoſitam locis comportant, igneque ſubjecto exurunt. Et quia commorante ibi colluvie iſta, nemo ampliùs ingredi audebat, martyr nonniſi poſt quinque demùm ſeptimanas à ſcholaſticis quibuſdam humatus eſt.

13. Eodem anno (1621. Ianuarii 17.) Paſtor Netinenſis *Laurentius Curtius*, Vir ſexagenarius, cum uxore ſua à pecuniam furiosè flagitante milite tam atrociter flammis uſtulati ſunt, ut illico exſpiraret uterque.

14. Oppidi Bohdaloviæ Paſtor *Paulus Pſſeniczka*, propè ſeptuagenarius, ab impio milite ad genitalia ſuſpenſus, & ſuppoſitis ſuismet accenſiſque libris, uſtus, cùm inter cruciatus miſericordiam imploraret, à quodam ex iſtorum numero glande plumbea trajectus

jectus fuit: atque ita istius misericordiâ dolores & vitam finiit.

15. *Bartholomæus Iaworsky*, Vir pius & exemplaris, Kerhoviæ Parochus, per idem hoc tempus à supervenientibus harpyis primò 700. florenis fuit multatus: tùm direpta supellex: tandem cùm mortem intentarent, ille foràs prorupit, pavidusque se insequentes fugiens viscera rupit, &c.

16. Non effugit eorundem scceleratas manus Pribicensis Pastor *Elias Severinus*; quem multis confectum vulneribus, & cervice ultrà medium dissecta, pro mortuo reliquerant. At is commiseratione quorundam ad Chirurgum Anabaptistam delatus, supervixit quidem propè biennium, doloribus tamen acerrimis divexatus.

17. *Iohannes Beranek*, senex septuagenario major, Zdanicensis in Moravia Pastor pius, cum in harpyias incidisset, plagis primum exceptus, deinde igni quem sibi in medio oppidi foro excitaverant, superimpositus, combustus est: Anno 1622. 17. Martij.

18. Per eosdem dies, *Gallus Celech*, Cetochoviæ in Moravia Pastor, à militibus crudelissimè verberibus confectus triduo pòst exspiravit.

19. *Cypriano Peschino*, Viro insigni eruditione & authoritate apud Kutebergenses, diu insidiati Jesuitæ, subornarunt tandem nobilem apostatam, *Burjanem Chuchelium*, qui eundem militibus proderet, eorumque libidini exponeret. Peschinus igitur cum Barone *Casparo de Zerotina* pilento vectus, à supervenientibus 40. equitibus à Baronis latere rapitur, & Cholticium defertur. Sed idem Baro, & complures alii mox, de eodem dimittendo solicitant, obtinentque ut pretio quatuor millium florenorum redemptus fuerit: qui post in exilio vitam finiit, Hirschbergæ.

20. *Iohannes Buflerus* Wyprachticensis Pastor, productus à militibus foras, alligatus fuit arbori, ad quem illi collimando scolpeta explodebant. Ita fortassis, ne ferirent, perterrefacerent solùm; ille tamen terroribus exanimatus, tertio pòst die exspiravit.

21. *Wenceslaum Kuczeram* ad pagum Libkow sibi obvium factum Wilhelmus Lukawsky, Nobilis Papista, *Hîcne te invenio Bestia?* inquiens, globo trajecit. Sed hæc, & similia per militarem licentiam gesta dici possint. Veniemus igitur ad ea, quæ per juris processum designata sunt.

CAP. LI.

Prima Pastorum Pragensium ad Apostasiam solicitatio.

SUb initium Anni 1621. evocato ad locum certum Consistorii Euangelici Administratori, *Georgio Dicasto*, exhibiti sunt articuli sex, quos Parochis Pragensibus (Bohemis & Germanis) ad deliberandum referret (cita ex Coronatore nuper Regis Referendario facto.)

I. *Vt pecunia invicem collectâ, aliquot millia Cæsari ad exsolvendum militi stipendium, mutuò darent.*

II.

II. *Coronationem Friderici publicè revocarent.*

III. *Ritus antiquos in Ecclesias reintroducerent.*

IV. *Ordinationem Ministerii sui ab Archiepiscopo reiterarent.*

V. *A conjugiis discederent, vel ejusdem conjugii sui ab Archiepiscopo tolerantiam requirerent.*

VI. *Si qui ad Politicas functiones, relictis officiis Ecclesiasticis, transire vellent, illis peculiarem gratiam, & promotiones forenses, promitti.*

Sed unanimi ore responderunt, nihil se contra Conscientiam facturos. Ut igitur primus hic Satanæ assultus in cassum abiit, ille paulò pòst aliam inivit viam, pro fraude vim adhibens.

CAP. LII.

Primum adversùs Pastores Pragenses edictum publicum.

REbus politicis utcunque constitutis, & sanguine Procerum (quorum 21. Junii Anno 1621. viginti septem mactaverant, quæ mox sequetur historia) vel sedatâ vel accensâ meretricis Babylonicæ siti, Ecclesias jam violenter aggressi sunt. Festo enim natalitio Christi appropinquante, prodiit nomine Principis Lichtensteinii (Bohemiæ Gubernatotis) edictum: quô *totius præteritæ rebellionis culpa ad Parochos Pragenses transferebatur; quòd seditiosis ac mendacibus sermonibus & scriptis, tàm plebem quàm Proceres adversus Cæsarem concitassent; quòd novarum pestilentissimarum Confœderationum, Regisque novi creandi, authores exstitissent; quòd neque dum, tanquam turbulenti, temerarii, & seditiosi homines, omnia clàm palàm turbare, novumque Cæsaris*

Cæsaris odium hominibus instillare, desinant. Publicæ igitur tranquillitatis causâ eosdem intra triduum Pragâ, intra octiduum toto Regno, & accorporatis provinciis, idque in perpetuum, proscribi. Quòd si quis illorum ullo prætextu vel intra Regni limites se continere, vel unquam redire, vel alius quispiam eosdem fovere, occultarevé præsumserit, pari jure utrosque mortis pœnâ sine ullâ gratiæ spe afficiendos, Dabantur Pragæ 13. Decembr. 1621.

2. Ita Pastores Bohemi (Germanorum enim in Saxonis gratiam adhucdum habebatur ratio) Pragâ ejecti, Templa Jesuitis tradita. Quæ tùm piorum consternatio, qui Conscientiarum angores, qui ejulatus fuerint, Pastores suos comitantium, Valeque iisdem velut ultimum dicentium non facile fuerit explicatu.

3. Erant autem Parochi Pragenses tunc, qui sequuntur:

Georgius Dicastus, ad LætamCuriam Pastor, & Consistorii sub Vtraque Administrator; cum duobus Collegis: *Wenceslao Vittacio*, & M. *Iohanne Lansmanio*.

M. *Vi-*

M. *Victorinus Vurbenius*, ad Nicolai,
M. *Samuel Martinius*, ad Castuli,
Iacobus Iacobides, ad Martini,
Vitus Iakessius, ad S. Galli,
Iohannes Lunacius, ad Ægidii (exstincto paulò antè *Gallo Zalanio*, Viro scriptis Orthodoxis claro:) cum Diacono, *Iohanne Vurssovio*.
M. *Iacobus Iacobeus*, ad Michaelis.
} Palæo-Pragæ.

Vitus Fagellus, ad D. Henrici,
M. *Tobias Adalbertus*, ad Clementis,
Matthias Etesius, ad Adalberti Majoris,
Matthias Iauda, ad Michaelis (rursum)
Nicolaus Marzik, ad Adalberti Minoris,
Iohannes Hertvicius, ad Stephani,
Adamus Clemens, ad Wenceslai,
} Neo-Pragæ.

Iohannes Rosacius, ad Nicolai, Micro-Pragæ.

4. Fratrum Paſtores, (*Iohannes Cyrillus*, Conſiſtorii Senior; & *Iohannes Corvinus*, *Paulusſque Fabricius*) partim jam ante exceſſerant, partim latebant. Cùm enim Auditores ſuos non ad unius Templi parœciam, ſed ſparſim per totam Pragam habitantes, haberent: illi autem Bethleemiticū Sacellum ſibi aliquando ereptum, aut non ſemper conceſſum iri, metuentes, proprium ſibi Templum ædificare cæperant, tantiſperq; Jeſuiticum Templum, tunc vacans, uſibus ſuis conceſſum habebant, quod à Praga capta Jeſuitæ mox receperant. Cumque præterea milite & terroribus oppleta eſſent omnia, rogabant ipſimet Auditores in ſacello Bethleem non convocari (neminem enim compariturum facilè) donec turbæ pertranſiſſent. Sed turbæ dum non quieſcerent, angerentur potiùs in dies, intermiſſum ſemel exercitium publicum reaſſumi non potuit.

5. Quia verò populus Bohemus Paſtoribus ſuis orbatus, ad Germanorum (quibus adhuc in ſuis propriis ſub Rudolpho exædificatis Templis, Palæo-Pragæ ad Salvatorem, & Mikro-

Mikro - Pragæ ad Trinitatis, liberum erat exercitium) ſacra confluebant, (quibus nempe idiomatis Germanici qualiscunque cognitio fuit) Ieſuitæ Electorem jam irritare quàm id tolelerare ſatius rati, inſtanter urgent obtinentque, ut Paſtoribus quoque Germanis anni ſequentis 29. Octobris die non quidem proſcriptio, ſed gratioſa dimiſſio denuntiaretur; fruſtrà proteſtantibus contrà D. Hoëo, & Electore ipſo. Exceſſerunt itaque Pragâ Germanorum quoq; Paſtores, M. *Caſparus Wagnerus*; M. *David Lippach*; *Sigiſmundus Scherertzius*; & M. *Fabianus Natus*; magnis comitati utriusque populi agminibus; quibus in medio campo valedictoriam cum omnium gemitibus & ejulatibus, ut Cælum perſonaret, concionem habuerunt.

CAP. LIII.

Pastores aliis ex Vrbibus removentur.

PRoximum inde fuit Pastores Euangelicos ex Vrbibus cæteris liberis submovere: quod eodem mox anno aggressi, perque Commissarios exsequuti sunt, variis cum insolentiis. Cujus rei unum duntaxat & alterum apponam exemplum.

2. Inter designatos Reformationis, Commissarios in Slanensi & Litomericensi tractu, erat *Georgius Michna*: qui Equitum turmâ stipatus Civitates obibat. *Slanam* ut venit, die Catharinæ sacro, Templum cum satellitio ingreditur, eorumque Pastorem & Decanum, M. *Iohannem Kaupilium*, Virum doctum & fervidi spiritus, ad altare Euangelii textum prælegentem conspicatus, per suorum quendam tacere jubet. Vt autem is legere pergit, accedit ipse, & gladio evaginato, *Insulse prædicator desine blaterare*, vocifera-

feratur; ſimulque Bibliorum codicem violenter eodem gladio manibus excutit. Hic Paſtor, oculis, manibus, & voce ſublatis, *Væ, Væ, Vobis*, ingeminat: *qui Regnum Dei non intratis ipſi, & intrare volentes prohibetis, Væ, Væ, Væ Vobis.* Sed voces iſtæ ſannis exceptæ fuerunt, moxque manus ei injectæ, rapiebatur ac trudebatur huc illuc. Cùm iterum exclamaret, *Ego verò pro nomine Domini mei Ieſu Chriſti omnia hæc & quæcunque alia, ferre paratus ſum.* Quidam ex iis verba, *Domini IESV, Domini IESV*, velut in opprobrium & vilipendii indicium repetiit, in contrarium regerens: *Nos Dominum habemus Cæſarem.* Interim populo in horrorem & fletum dato, accedunt è Senatu Viri primarii, ſuam interponentes apud Commiſſarium fidem compariturum Paſtorem ſuum ubicunq; juſſerit, modò ne vim fieri per mitteret. Ille areſto detentum Pragam tranſmittere minatur: honeſtarum tamen matronarum poſtridie interceſſionibus motus, eâ conditione ut intra triduum Urbe excedat, dimittit. Ita à grege ſuo fidus Paſtor, non abſ-
que

que ingenti luctu, in exilinm missus, exacto triennio peste exstinguitur. Narrabat moriturus somnium amicis. Visum sibi fuisse constitutum se in eximia quadam Bibliotheca, quam cum lustraret, reperisse libellum qui titulum præferebat Latinis literis aureis talem, *Iustum est, ut Iusti mactentur, tandem coronentur.* Cujus libelli cùm exarsisset amore, avidè eum sub alam sinistram, ad evolvendum commodiori tempore, reposuisse; simul autem ut evigilasset, pro libello isthic loci pestilentiale tuber, quo post quatriduum exstinctus fuit, reperisse. Conscripsit in exilio linguâ vernacula librum *de Apostasia*. Item *Idolum Mundi*. Et, *de Vera Crucifixi agnitione*, qui typis descripti multis ad constantiam, & ad excitandum in agnitâ Veritate zelum, egregiè profuerunt.

3. In vicina ibidem Launensi civitate, cùm Pastor tam barbari processus metu secessisset, Commissarii pœnæ loco, quòd injussu Cæsaris hominem dimisissent, grandem pecuniæ vim ab Ecclesia extorquent, absentemque nihilominùs proscribunt.

4. Za-

4. Zatecum (Sazam) iidem ingreſſi, Decanum (*Iohannem Regium*) in Conſulis domo comparere, liminibus Templi mox abſtinere, tridui ſpatio parochiâ, octidui Civitate excedere, jubent. Qui cùm modeſtè cauſam tam ſubiti proceſſus quæreret, reſponſum eſt; *Cæſarem victoriâ potitum omnes Regni parochias ſuæ poteſtatis feciſſe, prædicantes igitur hactenùs toleratos, jamnunc loco motos, eos autem qui ſibi placeant ſubſtitutos velle.* Ita ſtabat pro ratione voluntas, Miniſtrique Euangelici ex Urbibus undique pulſi.

CAP. LIV.

Subſtituuntur Euangelicis Miniſtris peſſimi homines.

QUi autem & quales iſti fuerint, quos ſubſtitutos voluit, vel memorare piget: homines ſcilicet impuros,

puros, impios, blaſphemos, ineptos, nauci. Quot enim Bohemia Templorum habet, impoſſibile fuit vel tot mercenariorum illicò invenire. Præficiebant igitur binis, ternis, quaternis, imò denis & duodenis Parochiis, Parochum unum, qui tot aucupiis inſtructus vel avaritiâ, vel luxu, diffluerent. Quædam Eccleſiæ Miniſtris orbatæ ſuis, per biennium & triennium, grex abſque Paſtore fuerunt: ſed non invitæ. Tolerabilius ſiquidem fuit, paſtu ſalubri carere, quàm ad venenata adigi paſcua, lupisve fieri prædam.

2. Evocabant pòſt, ob linguæ vicinitatem, è Polonia Monachos, ventres pigros, inutilia terræ pondera; quamvis ad id, ut flagella eſſent Dei, ad ingratitudinem ſic absque re vulgò appellatorum Euangelicorum puniendam, ſatis aptos.

3. De profligatiſſima plerorumque vita pudet referre. Prorſus vidimus Babylonicam meretricem, antehac ſuppudere quoquomodò ſolitam, omni jam deterſo pudore fœditates omnes nudaſſe ſuas. In laude hîc

hîc erat, concubinâ contentum vivere aliquem: adulteria, inceſtus, Sodomia (inauditum genti noſtræ flagitium) tantum non publicè perpetrata ſunt. *David Siſſius*, Archidecani Hradecenſis *Cæleſtini* (ſceleſtini verius) Sacellanus, helluo inſaturabilis, Sodomita impudens, ſcurra obſcæniſſimus, uno verbo Atheus, domum aliquando reverſus vino plenus, feneſtræ ſe nudum expoſuit, indeque prolapſus in luto plateæ ſeſe volutavit: quanquam *Sceleſtinus*, cum quo perpetua geſſit bella, nebulonem à Dæmone ipſo per feneſtram præcipitatum raptatumque fuiſſe, dictitabat.

4. Decanus Bohemo-Brodenſis, Polonus, poſt multa perpetrata ſcelera uxorem Civis cujuſdam (Iohannis Papauſſek) formâ elegante, virili veſtitu abduxit, inque Poloniam cum eadem profugit.

5. Bakoviæ Parochus, cum ob diſſolutiſſimam vitam à Nobili quodam Evangelico (Dn. Kapauno) increparetur, cum ſuis nebulonibus ad eundem irrupit, verberibusque male mulctavit, & effractis per noctem aliquot

Civium feneſtris, oppido aufugit.

6. Magis abominabilia, honeſtis parcens auribus, non memoro: pereat eorum memoria, quæ inter Chriſtianos ne nominari quidem vult Apoſtolus. Ad Miniſtrorum Chriſti martyria redeo.

LV.

Cuttenbergâ Miniſtri moti.

CUttenbergam (quæ Civitas à Praga primaria eſt Regni, ab annis centum Orthodoxias nomine, peculiarique Archidecanatu clara) ingreſſus cum aliquot Equitum turmis Anno 1622, 22 Decembris, *Wilhelmus Wrzeſowetz*, Rei monetariæ ſummus Magiſter, Templa Ieſuitis tradidit, Paſtoreſque cum illius Eccleſiæ tum è vicinia ejectos ibique congregatos (nonnulli domunculas habebant) ad ſe vocat: poſt exprobratam hæreſin, rebellionem, & neſcio quid utrum in Eccleſiæ gremium redire vellent rogat, recuſanteſque Sacrorum adminiſtratione prohibet, ni

aſti

abstinuerint durissima quæque interminatus.

2. Sequenti tamen Anno (27 Julii) urgentibus Iesuitis jubentur ante solis occasum portis, & intra octiduum toto Regno exire. Exierunt igitur numero XXI. (*Georgius Pauli: Cyprianus Peschinus. Vitus Iakessius. Wenceslaus Karion. Gregorius Viti. Iohannes Kubinius. Nicolaus Sebastus. Iohannes Matthiades, Iohannes Claudianus. Sigismundus Tessicius. Iohannes Ioramus. Iohannes Neustupius. Thomas Dentulinus. Iohannes Pristrachius. Iacobus Martis. Iohannes Wyssota. Iohannes Podolsky. Sigismundus Piscis. Iohannes Luxinus. Nicolaus Nowokolinus. Georgius Sißkarz.*) comitati aliquot centenis civium, quos valedictoriâ concione *Iohannes Matthiades*, (verba Christi, *Ejicient vos synagogis, &c.* explicans) ad constantiam, cum fletu totius Cœtûs, hortatus est, tandem cantu & fletu resonante cælo, amplexibus & osculis mutuis Divinæ sese commendârunt gratiæ.

3. Alibi vix usquam id permissum. Vel clam ejecti sunt Pastores, vel conjecti in carceres: quorum alii post dies

vel menses demum aliquot dimissi, & sub capitis pœna Regno excedere jussi; alii carceris squalore (ut *Bohuslao Boldvino* Bidsoviæ accidit) enecati sunt.

CAP. LVI.

Edictum in Ministros toto Regno ejiciendos.

TAndem Anno 1624, in Augusto vulgatur Cæsaris diploma, *qu omnes & singuli Euangelici Ministri (repetitis criminationibus, quod homines seditiosi, & plebis seductores sint) toto Regno in perpetuum proscribuntur: præfix sex hebdomadarum termino peremptori* Sed dolo hic etiam usi, idem diploma per Mensem fere integrum suppresserunt; ut ad multorum manus vix e ipsâ die quâ terminus exibat, imò pos demum, veniret. Hic igitur totali dissipatio facta est, aliis per vicina Provincias, aliis per speluncas & latibula, dispersis.

2. Mul

2. Multi tamen eorum, officii memores; vel redibant clam, & auditores visitabant, vel prodeuntes ad se in montes, sylvas, & quascunque latebras, consolationibus, exhortationibus, sacramentorumque administratione, erigebant.

4. Quod ut sensere hostes, novum Cæsaris mandatum, Anno 1625, in Julio, protulerunt: quo & pœna occultantibus Ministros, & præmium proditoribus constituta fuerunt. Arbitraria quidem illa: nec hoc definitum. Collibuit tamen nonnullis apud sibi subjectos, & illam exasperare, atque plane capitalem constituere; Hoc autem 50 argenteorum designare, & proditionis lucrum circa Ministros ultra illud adaugere, quod Iudæ olim circa Magistrum satis fuerat.

Cap. LVII.

Multorum è Ministris Carceres: Unius Martyrium, Matthæi Ulicii.

COmprehensi igitur sunt nonnulli, & impacti carceribus. Cum quibus uniformis fere processus hic fuit ut per Iesuitas & Monachos ad Apostasiam, vel sophismatibus vel pollicitationibus, vel minis & terriculamentis variis, solicitati fuerint. Sed eventus fuit dispar: aliis quidem mortis aut perpetui carceris metu, vel famis & squalorum impatientia fractis miserèque deficientibus, & Ministerium ejurantibus, quales aliquot reperti: aliis vero (quales per gratiam Dei plerique, quos in hostiles manus incidere permiserat Deus) constanter perseverantibus, vel ad mortem usque, vel ad dimissionem, quæ post longos carceres tamen quibusdam, Deo rabiei hostium frena injiciente contigit: ut *Wenceslao Lipenio*, & *Danieli Ty-*

i Tychikio, ſenibus ſeptuagenariis, Boleſlaviæ; *M. Danieli Algino*, Strakonicii; *Laurentio Schramio*, Czaſlaviæ; *Victorino Adami*, Pragæ; *Ioſepho Tomaidæ*, *Petro Grynæo*, *Iacobo Ritirio*, *Iohanni Hradſcio*, *Wenceſlao Pazovio*, Niclaſpurgi; *Danieli Stephanidi*, Znoynæ; & aliis alibi. Nemo autem dimittebatur, niſi Reverſales literas (ſi amplius intra Regni limites fuerit deprehenſus, capite luiturum) à ſe tradidiſſet: ſed inſuper quidam multam pecuniariam pendere coacti, alii per lictorem (ut *Daniel Alginus*, &c.) ignominiæ cauſâ, educti fuerunt.

2. Vnus fuit in quo ſibi beſtiæ Apocalypticæ furor non temperavit. *Matthæus Vlicius* (Vlicky) Diaconus Czaſlavienſis, occaſione hâc captus. Cum exercitu Danico in Sileſia conſtituto (Anno 1627.) Nobilis quidam Bohemus, *Georgius Techenitz*, clam colligeret quos in Sileſiam duceret, congregaretque eos in Silva Gurimiæ vicina, quadringentos circiter, venit Pragam tumor, Ruſticos in tractu illo ad arma concurrere, atque rebellare. Miſſæ igitur aliquot cohortes ad

iſtos compeſcendum, ceperunt prope ſilvam iſtam (ſed *Techenizius* cum ſuis jam eruperat) *Matthæum Vlicky*, qui à viſitanda uxore morbo decumbente, ad latebras ſuas (Kerchlebam) redibat. Hunc Czaſlaviam ad congregatos tunc diſtrictuales Capitaneos, & cum illis Michnam, retrahunt: à quibus ille, num tumultui illi ruſticano interfuiſſet, examinatus, cum negaret, Carnifici torquendus traditur. Præficiebantur torturæ (6 & 10 Sept. repetitæ) Cives duo, apoſtatæ (*Nicolaus Holub*, & Gregorius Koſiſchnik) Vrbisque Decanus ipſe: qui non magis in ſeditionem ruſticorum, quam in functionem ejus, *Quando, Vbi, Cui, Cœnam vel Baptiſmum adminiſtraſſet*, inquirebant. Suſpicabantur enim toto illo triennio non longe abfuiſſe, ipſiusque ope multos Czaſlavienſium ad conſtantiam valide animatos: idquod factum erat revera. Ab exilio enim (peragratâ Moraviâ, Hungariâ, Auſtriâ) ante ſemeſtre reverſus erat, eo animo, nè auditoribus in perſecutione jam conſtitutis deeſſet prorſus.

3. Offe-

3. Offerebant autem ei vitæ ſpem, ſi Catholicus fieri vellet: Dominus tamen eum roboravit, ut doctrinæ Veritatem in ea ipſa Urbe, in qua eam docuerat, ſanguine ſuo obſignaret. Ingenuè igitur faſſus eſt, *ſe partes Miniſterii, quod à Chriſto, non à Cæſare, accepiſſet, nec depoſuiſſe, nec intermiſiſſe.* Interrogatus à Sacrificulo, num Calvinianorum more panem pro hoſtia exhibuiſſet, Calicemque in manus porrexiſſet? Reſpondit: *Ita Chriſtus inſtituit, cujus mandatum & exemplum ſequi mihi ſacroſanctum fuit.* Cum ſeditionis adverſus Cæſarem ab eo extorquere vellent confeſſionem, & Inquiſitorum alter (Koſiſchnik) Conſcientiæ eum admoneret, ne eam ullâ facinorum occultatione oneraret, reſpondit: *Melius ego conſcientiæ meæ conſului, quam tu perfide tuæ.* Qua ille voce perculſus, & conſcientiâ convictus, paulô poſt in morbum incidit, quô & contabuit ac periit. Injectâ iterum veniæ ſpe, ſi religionem mutare vellet, reſpondit: *Quandoquidem corruptioni per ſe obnoxium corpuſculum hoc corrumpi jam cœpit, quid eſt cur impeditum id vellem?*

 4. Die

4. Die igitur Sept. 11. ad ſupplicium productus eſt, cumque voce præconis ſeditionis reus proclamaretur; ſublatâ voce mendacium eſſe reſpondit: *pro Veritate Chriſti ſe pati:* Cum portâ eſſet educendus, Baccalaureus quidam (*Iohannes Aquula*) libellum ei Cantionum offerens, à Capitaneo baculo percuſſus, & fugere coactus eſt; Ulicio interim promptâ memoriâ, *Domine feſtina in auxilium mihi*, & alia, decantante. Nemini autem Civium, vel comitari vel per feneſtras proſpectare conceſſum fuit; in ſecus facientes ſclopeta collimabantur. Et ne exaudiri quoque poſſet quid loqueretur vel cantaret, Tympanorum & tubarum ſtrepitu impeditum eſt.

5. Ad ſupplicii locum deductus, cum ſeipſum ſolaretur, dicens, *Hodie anima mea cum Chriſto erit*; reſpondit Capitaneus Hlizowſki, *Cum Diabolo in profundiſſimo inferno.* Sed regeſſit Martyr, *Tu cum impia tua turba eò rues, niſi reſipueris.* Simulque genibus flexis animam commendabat Chriſto. Et mox à Carnifice illi primum manus dextra

dextra abſciſſa, quâ (inquiebant) in laicorum manus calicem dediſſet; dein amputatum caput; tum exſecta inteſtina involutaque ſubuculæ, tandem corpus in quatuor partes diſſectum, quæ quatuor affixæ palis: quinto autem caput, circa patibulum triſti ſpectaculo expoſitum fuit. Affirmabant tranſeuntes toto anno quaſi recentes, & ab avibus intactas fuiſſe viſas.

6. A morte ejus ſpargebant hoſtes, repertas penes illum fuiſſe literas, quas (ſi adjungi ſeditioſorum ruſticorum turbæ ſe contigiſſet) in patenti forma per totum Regnum dimittere, omnesque ad arma, pro defendendo calice, concitare ſtatuiſſet. Sed apud eos qui hominem propius nôrant, commentum iſtud nullam reperit fidem. Hominem enim fuiſſe animi compoſiti, & vere pium, qui arma Eccleſiæ fletus & lacrymas eſſe ſæpius monebat; adeò quidem, ut etiam quod Ordines armis Religionem tutari vellent, non ſatis approbare viſus ſit. Niſi forſan impatientiâ cum aliis fractus, ad deſperata ejuſmodi delapſus fuiſſet conſilia; quod is novit, quem

nihil latet. Hoc ſcimus, non novum eſſe Eccleſiæ hoſtibus, ut facinora ſanctis Dei affingant, quibus colorem obducant tyrannidi ſuæ. Patrem hujus martyris (virum octogenarium) pro Religione quoque eodem anno poſuiſſe vitam (Proſtannæ in Moravia) poſteâ monebimus (Tit. CIII. §. 9.)

CAP. LVIII.

Miniſtri è Moravia ejecti.

EOdem quo in Bohemia Anno, 1624. publicatur in Moravia quoque adverſus Miniſtros Edictum, conſtituunturque qui exſequutioni præſint, Commiſſarii. Hi totam obeuntes Provinciam, undique Paſtores Euangelicos ſubmovent, inque exilium agunt.

2. Veniunt autem (*Iohan-Iacob Magno*, homo Italus, indigenatu tamen & opibus amplis donatus; & *Iohan-Erneſtus Plateyſius*, Canonicus Olomucenſis) ad Illuſtrem quoque Baronem *Carolum de Zerotina*, (Virum ob ſapientiam aliasque heroicas virtutes per Europam celebrem, & ſub

Matthia octennio toto Pro-Marchionem, inque fide Domui Austriacæ præstanda per omnes istos motus constantem, ob solam in Religione constantiam invisum: tunc enim 24 Pastores, ex Unitate Fratrum, per ditiones suas fovebat) voluntatique Cæsareæ satisfieri postulant. *Negat ille ad se rem istam pertinere; cum Cæsari nunquam rebellis factus, nunquam privilegiorum aliquid amittere potuerit.* Affirmant illi, expressum se à Cardinale Ditrichsteinio (Moraviæ Gubernatore) habere mandatum. Negat ille se Cardinalis jurisdictioni, in Reilgionis negotio, subesse: proinde à Cardinale ad Cæsarem provocat.

3. Acquiescunt illi ægre, terminumque nonnisi 14. dierum concedunt. Quibus elapsis, cum Baro ob valetudinem affectam ad Cæsarem proficisci non potuisset, regrediuntur (postridie Epiphaniorum) exsequutionemque Cæsareæ voluntatis urgent; optione tamen Baroni data, utrum ipse velit & promittat, Ministros amandare, an sibi hoc expediendum relinquat. Baro, *Sibi neutrum*

conve-

convenire, reſpondit: *nec ut quos Chriſti ſervos agnoſcit, in exilium agat, nec ut Commiſſariis præſcribat quidquam. Se tamen provocare ad Cæſarem.* Illi, ſibi mandata exſequenda eſſe proteſtati, deſcendunt in Oppidum, literas citationis adornant, Conſuleque accerſito, tabellarios ſibi dari poſcunt, moxque de nocte (ut ſe nimirum de illis eſſe conteſtentur, quos Scriptura ſomnum non capere niſi malum perpetrârint, & ſomnum ab iis fugere nî ruinam dederint, Proverb. 4. 16. teſtatur) dimittunt, ut in vicinia illa habitantes ſummô mane compareant omnes, mandantes.

4. Miniſtri parent, & ſe ſiſtunt. Prælegunt illi Cæſaris mandatum, an huic obſequi vellent, rogant. Reſpondent hi: *Se totos à voluntate Dei, cui in Evangelio IESV Chriſti ſerviant, pendere. Acquieſcentes igitur divino beneplacito ſubituros hoc triſte exilii onus, cum pro Chriſti nomine, non pro maleficiis, paſſuri ſint.* Quærunt iterum: An reſipiſcere, & ad Eccleſiam Catholicam, (à qua per hæreſin & ſchiſma ſeceſſiſſent) redire velint? Negant unani-

unanimiter. Commiſſarii ad deliberandum oblato temporis ſpatio excedere jubent, ut poſt ſingulis ingrediendi & pro ſe loquendi eſſet facultas. Sed geminant illi commune reſponſum, *Nullam ſibi in tam ſancta cauſa deliberationem eſſe.* Commiſſarii igitur eos Cæſaris nomine proſcribunt; & intra octiduum Provinciâ exire, ſub capitis pœna mandant. Dictum factum: migrant in exilium Viri pii, quos Baro ſuo ſumptu in vicinam Hungariam deduci curat.

5. Wiennam poſt profectus, apud Cæſarem de Cardinalis in Moravia, & Princip. Lichtenſteinii in Bohem. (nam & ibi Oppidum cum pagis aliquammultis poſſidebat, Paſtoresque ſimiliter ejiciebantur) ſibi illatis injuriis conqueritur: ſed nullo effectu, ut mox ſub titulo de Proceſſu adverſus Proceres ipſos, dicetur.

6. Ita ex tota Bohemia & Moravia Euangelii Miniſtri ejecti, Antichriſti mancipia Eccleſiis Doctores, cœci ſcilicet videntibus ductores, dati ſunt. Iam quomodo in cæteros Ordines graſſati ſint videamus.

CAP. LIX.

Adversus Proceres & Nobilitatem processus. Quomodo multi primarii Viri capti, & ad mortem, vel carceres, condemnati fuerint.

IN Phalaridis & Machiavelli edocti Schola Euangelii hostes, eminentioribus decutiendis papaverum capitibus primum intenti erant. Cui rei opportunus color, quem pridem quærebant, perduellionis crimen erat. Quanquam enim post commissum prælium omnibus Ordinibus, si depositis armis plene se Cæsareæ gratiæ committerent, certa Veniæ spes facta fuit, (qua arte etiam ex illis quidam qui periculum evadere alioquin potuissent, irretiti sunt:) postea tamen, quos ad cædem designaverant, comprehendi curârunt, publicam libertatem nonnisi quorundam capitum interveniente lytro redimi posse, dictitantes.

2. Primum igitur, quos ex Defensorum & Directorum Ordine habere poterant; deinde quoscunque ad rem communem Patriæ & Relligionis amore aliquid egisse sciebant, aut agere posse metuebant (iis solis qui vel Ferdinando diffidentes, vel Friderico datam fidem frangere metuentes, in exilium abeuntem ultro comitati erant, exceptis) comprehenderunt; Viros circiter quinquaginta, pietate, prudentiâ, animi robore præ cæteris insignes; qui juventutis annos bonis artibus, armis, peregrinationibus, cæteram ætatem Ecclesiæ & Reipublicæ muniis, (vigilando scilicet, pericula imprudentibus commonstrando, prudentibus animum addendo, ad concordiam cohortando, & in commune quomodocunque poterant, consulendo) transmiserant; verbo, florem gentis, lumina & columina Patriæ. Hi igitur quomodo examinati, condemnati, & quibus suppliciis affecti, quam alacriter pro Fidei Veritate & Patriæ libertate martyria subierint, usitata nobis brevitate & simplicitate memorabimus.

3. Dul-

3. Dulce canebat fiſtula, deceptu-
ris volucres aucupibus. Ultra trime-
ſtre nihil præter gratiæ pollicitatio-
nes, &, quicquid peccatum fuiſſet,
impunitatis ſpem, audiebatur: adeo ut
etiam è latebris prodierint, & ab exi-
lio redierint aliqui. Sed ubi plures
ſperare deſierant, derepente, unâque
horâ, quæ fuit prima noctis, (hora
cœnæ) 20. Februarii die, Anno 1621,
invaſerunt & captivârunt quos habe-
re poterant omnes. Singuli enim in
domibus ſuis ab Vrbium Pragenſium
Capitaneis, & Cæſareis Iudicibus
(ut hi inter ſe operas partiti erant) in-
ſperatò viſitati, & currum conſcen-
dere juſſi, alii in Arcem Pragenſem,
alii in domos Prætorias tranſlati,
fuerunt.

4. Affixa poſtridie diplomata, qui-
bus abſentes & qui è Regno exceſſe-
rant citabantur, termino ad compa-
rendum hebdomadarum ſex præfixo.
Aprilis igitur die ſecundâ per Cadu-
ceatores regios (Heroldas) compa-
rere juſſi, cum nemo compareret,
die 5 Aprilis ſententia in eos per eoſ-
dem præcones promulgabatur, *læſæ*

Maje-

Majestatis reos, bonorum, honoris, capitis condemnari. Exsequutioni data dies Aprilis 25 eorundemque nomina patibulo affixa. Sequenti autem die in eorum qui rebellionis tempore naturæ solverant debitum, hæredes, pronuntiata est sententia, bona videlicet ipsorum fisco Regio assignari.

5. Mense Majo reditum est ad captos Proceres exagitandos, designatique eis examinatores Doctores Juris *Otto Melander*, & *Daniel Kapper*, (levissimi Apostatæ) cum aliquot de Nobilitate: qui sæpius reos conveniendo mille inutilibus quæstionibus (extorquere scilicet quod nusquam erat, volentes) fatigabant. Cujus importunæ inquisitionis impatiens tandem *Comes Schlikius*, diruptâ veste & pectore nudato: *Discerpite*, inquit, *in mille frusta corpus hoc, & rimamini viscerum intima, nihil tamen reperietis præter quod in Apologia expressimus. Libertatis nos & Religionis amor stringere coegit gladium. Quia verò Deus Cæsaris prævalere voluit gladium, & nos in vestras tradere manus, fiat voluntas Domini.* Similiter Dn. *Budowecius*, & *Otto de Loss*, multa usi parrhe-

parrhesiâ, *causam Ordinum à contrario eventu nihilo deteriorem esse factam*, contestati sunt.

6. Ita inquisitionibus uno atque altero mense consumpto, cum nemo causâ cedere, nemo crimen fateri, nemo deprecari vellet, transitum est ad exsequutionem: judicio demandato selectis è Proceribus sub Una, juratis Euangelicorum hostibus. Ut tamen crudelitas clementiæ haberet speciem, sententias ut à subornatis illis Judicibus latæ erant, Cæsar ad se Wiennam submitti jussit; quas postea, mitigatas aliquanto, remisit. Relatum est à fide dignis, Cæsarem deliberando insomnem duxisse noctem, accersitoque mane Confessario suo ad se, (P. Lamormaini) dixisse: *Per Conscientiam te adjuro, dic mihi, Possumne salvâ conscientiâ condemnatos illos donare vitâ, an permittere exsequutionem?* Confessariumque respondisse: *Utrumque in potestate tua est, Cæsar.* Cæsarem igitur arrepto calamo quibusdam vitæ, aliis ignominiæ majoris gratiam fecisse: uti sequitur.

7. Iunii die 19, (qui Saturni fuit, studio

ſtudio an caſu ad Saturninas actiones electus) congregati in Arcis palatio Iudices, curârunt ſingulos produci, condemnationisque ſententiam (ceremoniis ad terrorem comparatis) promulgari: aliis quidem mortem, aliis carceres perpetuos, aliis exilium, quibusdam etiam ulteriori Cæſareæ voluntati reſervatis, hoc modo:

8. *Wilhelmum Popelium de Lobkowitz*, & *Paulum de Rziczan*, gladio percutiendos fuiſſe: innatâ tamen & ſemper ad benignitatem propendente Cæſaris Ferdinandi clementia, æternis carceribus, bona vero fiſco Regio (ut & ſequentium omnium) addici.

9. *Ioachimo Andrea Schlikio, Comiti de Paſſaun*, dextram primo amputandam, tum in quatuor diſſecandum partes, & per viarum compita ſuſpendendum: peculiari tamen gratia, decollandum eſſe duntaxat, caput vero & manum de Pontis Pragenſis turri ſumma lanci clathratæ affigenda.

10. *Wenceſlaum de Budowa*, itidem manu & capite truncandum, membraque illa certo loco affigenda, deinde

inde in partes quatuor secandum, & quadrivio publico ad palos exponendum fuisse: indultu tamen Cæsaris caput solum gladio, præsecandum, & ad Pontis turrem affigendum.

11. *Christophorum Harant de Polcitz*, gladio percutiendum.

12. *Caspari Kaplirio de Sulewitz*, quamvis multa peccasset, grandævitatis habitâ ratione (erat enim prope nonagenarius) gratiam fieri, ut nonnisi gladio percutiatur, caputque cum cæteris spectaculo sit.

13. *Procopio Dworzetskz*; *Bohuslao de Michalowitz*; *Friderico de Bile*; & *Henrico Ottoni de Loss*, eadem denuntiata est pœna: quamvis (inquiebant) per rigidiorem justitiam quadrifindendi fuissent.

14. *Iohannem Wostrowecuim* capite plectendum fuisse: ad carceres tamen perpetuos reservari.

15. Eadem sententia in *Wenceslaum Felicem Petipesky* lata: (sed infelix homo ille paulò pòst turpi apostasiâ turpem sibi redemit libertatem.)

16. *Dionysio Czernino* duos primum digitos, post caput, præcidenda esse: digi-

digitorum tamen ei fieri gratiam.

17. *Wolfgangum Hoſtaurum*, æterno exilio mulctandum: gratia tamen Cæſaris in Hungariæ fortalitium *Raab* ad anni ſpatium mittendum.

18. *Wilhelmum Konec chlumſky* decollandum.

Atque hactenus de Baronum & Nobilium ordine homines: Cives ſequebantur.

19. *Iohannem Theodorum Sixtum*; *M. Valentinum Kochanum*; *Tobiam Steffek*, *Chriſtophorum Kober*, omnes Pragenſes primarios Cives, capite plectendos.

20. *Iohannem Schultiſium*, Kuttenbergenſem, & *Maximilianum Hoſtialkum* Zatecenſem, primates, decollandos, capitaque in Urbibus iſtis cippo fori affigenda.

21. *Iohanni Ieſſenio*, Medico & Univerſitatis Pragæ Rectori (ob legationem ad Hungaros) linguam vivo exſcindendam, vivumque quadripartiendum, demumque caput & partes per bivia diſponenda: Per gratiam tamen Cæſaris truncandum primò lingua, tum capite, demumque diſſecandum eſſe.

22. Io-

12. Iohannem *Kutnaur* , *Simonem Sufficium*, & *Natanaëlem Wodnianium*, Senatores Pragenses , suspendio afficiendos.

23. *Melchiorem Teyprechtum*, Advocatum ; *Georgium Zawietam* , Cancellariæ Secretarium , *Paulum Perczkam* , ad tabulas Regni Depositorem, æterno carceri mancipari.

24. *Wenceslaum de Gisbice*, civem Pragensem , decollandum.

25. *Georgium Haunschildium* , & *Leandrum Rippelium*, natione Germanos, Jurisconsultos, & quorundam Germaniæ Principum Agentes (illum etiam ad Tribunal appellationum Consiliarium) manibus & capitibus truncandos.

26. *Nicolao Dionysio* , Senatûs Majoris Pragæ Accenso , linguam præcidendam : mitigari tamen pœnam, ut ea ferreo clavo ad patibulum per horæ spatium affixa, solum is vertere teneatur.

27. *Wenceslaum Bozecium* , Accensum ; Iohannem *SSwehlam*, & Iosephum *Kubinum* , Advocatos , Virgis cædendos, exilioque mulctandos.

28. *Mat-*

28. *Matthiam Borbonium*, Medicum, capite plectendum fuisse: gratiâ tamen Cæsaris in carcere servandum.

21. *Casparum Vstar*, & *Henricum Kozel*, Senatores Neo-Pragenses, de fenestra ejusdem Urbis Curiæ fuisse suspendendos: ex gratia tamen Cæsarea illum carceribus reservari, hunc gladio subjici.

30. *Eliam Rosinum* Seniorem; & *Lucam Karbanum*, gladio percutiendos: donari tamen utrumque vitâ, illi in carcere, huic in exilio transigendâ.

31. *Andream Kocaur*, *Georgium Rzeicium*, *Michaelem Witman*, *Simeonem Vockacz*, gladio tollendos. *Iohanni* verò *Kamarito* gratiam fieri, ut ad anni spatium exilio mulctetur.

32. Alii aliquot Cives, (*Abrahamus Angelus*, *Iohannes Pelhrzimowsky*, *&c.* ulteriori reservabantur Cæsareæ cognitioni.

LX.

Viginti ſeptem glorioſi Martyres.

FInito judiciali hoc proceſſu (qui à ſexta matutina ad ſecundam pomeridianam duravit) ad ſuum quisque carcerem, (Proceres in Arcis conclavia, Cives in domos Prætorianas) reducti ſunt: Inſultantibus ſubornatis quibusdam nebulonibus, Eccur jam non canerent, *Dominus regnat?* Pſalmum ſcilicet nonageſimum nonum, Friderici forſan tempore inter alios cani ſolitum.

2. Redeunti è Palatio Principi Lichtenſteinio, ut & poſtridie ad Miſſam proficiſcenti, Conjuges, liberi, agnati, condemnatorum, utriusque ſexûs, ſupplices fiebant, vitâ ſuos ſibi donari precantes. Sed reſponſum fuit, nihil ſupereſſe gratiæ: niſi forſan, ut corpora honeſtiori ſepulturæ concedantur. Quanquam non defuerunt δωροφάγοι adulatores, qui ſpem faciendo viduas & pupillos pecuniis emungebant.

3. Ve-

3. Vespere significatum est condemnatis, exsequutioni dictam esse diem 21 Junii: admoneri eos itaque, ut animæ suæ consulturus quisque, vel Jesuitas, vel Capucinos, vel Ministrum Augustanæ Confessionis sibi accersat, & se morti præparet. De Ministro autem ex Unitate Fratrum vocando, nemo cogitaret; id enim non permitti. Quod triste accidit illis, qui Fratrum sacris adsueti erant, media fere Martyrum pars. Non aliter autem interdictum illud accipi potuit, quam vel exquisito quodam & ab antiquo jam in istos radicato odio id fieri; vel ad glaucoma obducendum Saxoni & Lutheranis, quasi istorum sacris minus esset infestus Cæsar.

4. Quo facto, prædicti Jesuitæ & Capucini, nullâ exspectatâ vocatione, ut muscæ advolabant, multis modis (quibusdam etiam vitæ spem injiciendo) ad desperationem, & Veritatis abnegationem, sollicitantes. Sed roboravit omnes Dominus, ut omnia ista quoque Satanæ molimina in cassum fuerint; quicquid illi contra protestarentur, cœlum & ter-

ram in teſtimonium advocantes, damnationis eorum æternæ ſe non futuros reos, quandoquidem ipſi tam pertinaciter omnem reſpuant Dei gratiam.

5. Advocati igitur ſunt Miniſtri Euangelici: in Arcem quidem *Iohannes Roſacius* è minori Praga; in Palæo-Pragenſem Curiam, M. *Victorinus Werbenius*, & *Vitus Iakeſſius*; in Novo-Pragenſem, *Adamus Clemens*, & *Iohannes Hertvicius*; Germanis autem (quorum inter condemnatos tres erant Doctores, *Ieſſenius*, *Haunſchildt*, & *Rippel*) *M. David Lippach*: qui toto illo reliquo tempore (die Solis & Lunæ, ad horam uſque Exſequutionis) alloquiis ſanctis, precibus & & cantibus, Euchariſtiæ denique adminiſtratione, ſanctos Martyrii candidatos futuro agoni præparabant.

6. Qui de Fratribus ac Reformatis erant, eoſdem Miniſtros admittebant benignè: proteſtati eos ſe pro Fratribus agnoviſſe hactenus, Chriſtique agnoſcere legatos, utut in quibuſdam illis infeliciter controverſis Articulis diverſa ſentientes. Duo ſolum, *Baro de Budowa*, & *Otto de Loſſ*, ſermones qui-

quidem cum *Rosacio* pie contulerunt; de Eucharistia verò (eô, ut ajebant quod id in calumniandi ansam rapi posset,) non participârunt: se interim isto, *Crede & manducasti*, consolantes.

7. Memorabile fuit, quomodo die Solis illi qui Palæo-Pragensi Prætorio detinebantur, cœnârint. Cum præsente M. *Werbenio*, & pios sermones cum illis miscente, custodiæ præses nunciasset, horam adesse Cœnæ; illi conjectis alius in alium oculis, protestari, se quidem illâ materiali cœnâ non indigere, recreationis tamen causâ accubitum non aspernari. Ita alius mappas sternere, alius discos apponere, alius loturis aquam infundere, alius Benedictione præmissâ dapes distribuere, alius monere, *hanc sibi ultimam in terris cœnam esse, cras autem convivaturos cum Christo in Regno cælorum.* Quam vocem malè excepit malus animus, Curiæ Præfectus, homo Pontificius: qui ad suos egressus, sugillavit, *Christus scilicet pro iis coquos alit in Cælis, &c.* Quod ut nunciatum illis fuit, Minister Verbi (*Vitus Iakessius*) de ultima Christi in terris Cœna, &

Juda Christum & discipulos turbante, multa pie disseruit, &c. Unus eorum, D. *Haunschildt*, omni cibo & potu abstinuit; *Satis delicatè hic vermium saccus*, inquiens, & ventrem commonstrans, *pastus fuit*; *hic terminus esto.*

8. Nuntiatur interim Barones & Nobiles ex Arcis custodia in Curiam Antiquæ Urbis (ad quam scilicet in adjacente foro lugubre Theatrum laniénæ isti destinatum erat, convehi: quibus illi velut obviam ituri, ad fenestras properant, & prospectantes, decantatione 44 Psalmi, cum accurrentis & attonitæ turbæ suspiriis & lacrymis multis, altissimâ voce excipiunt Martyrii socios.

9. Tota exinde nox hymnis, oratione, colloquiis piis, exhortationibusque mutuis (ut quoniam præ cæteris ad hanc Martyrii gloriam essent electi, verâ constantiâ Mundum confundere, Christum glorificare, posteritati pium exemplum relinquere, nè dubitarent) transacta est. Cum autem inter alia Psalmus 86 decantaretur (ex occasione versus ultimi, ubi David, *Ede signum aliquod bonitatis erga*

me

me tuæ, orat) *Iohannes Kutnaur* in hæc prorupit verba: *Ede igitur in nobis quoque ſignum aliquod bonitatis tuæ, ò Deus! quô & nos indigni famuli tui confirmemur de bonitate tua, & confundantur hoſtes.* Ac velut pro Deo reſponſans, fide plenus, *Confidite*, inquit, *hac etiam in parte, exaudiet vocem noſtram Deus, exhibebitque cras mirabile aliquod ſignum, atque nos pro ſua cauſa pati conteſtabitur.* Miniſter (M. *Werbenius*) hoc audito reſpondit; *Acquieſcerent eo ſigno, quod edulcatam ſibi ſentiant, impiis tam acerbam, mortem.*

10. Sub diluculum facie ablutâ, veſtes induebant mundas, quaſi ad nuptias ituri: thoraces & tunicas ita corpori aptantes, etiam collaria abſcindendo, ut poſtea in theatrum productis novâ preparatione opus non eſſet. Kutnaur interim cum aliis iterum ardentiſſimè Deum invocare, ut ſi ſuæ majeſtati placeat, tum ſe tum populum de innocentia ſua quôcunque ſigno confirmare velit. Et mox, ſub ipſiſſimum Solis exortum, nuntiatur formoſiſſimus Cælum cinxiſſe arcus. Procurrunt Miniſtri, militum

catervæ, alii; Martyres verò fenestris prospectant, videntque omnes (ut & cæteri per totam Pragam) inusitati splendoris Iridem, serenissimo Cælo: (nec enim toto biduo antè vel pòst quidquam pluviæ notatum fuit.) Hoc cælitus exhibito signo, Martyres manus & voces tollere, pars eorum (cum quibus M. Werbenius erat) in genua procumbere, Deumque laudare. Hîc alius fœderis Noë, alius Iridis circa thronum in Apocalypsi, tribunalisque olim vivorum & mortuorum Iudicis Christi, recordari, invicemque se consolari.

11. Simul autem ac evanuit cæleste illud gratiæ signum, signum aliud imminentis jam Martyrii, grandis tormenti displosi fragor, intonuit. Quô audito Athletæ Christi per Ministros Verbi, ultrò citroque commeantes, sese invicem salutare, fortitudinem alii aliis comprecari, ad pugnam hortari, & animare. Adsunt mox Equitum turmæ, peditumque signa aliquot, cingunt triste theatrum, in quo per collocata sedilia Cæsarei Judices cum Senatoribus con-

confident; Forum, plateæ, domus omnes, ſpectatorum opplentur agminibus.

12. Evocantur Martyres, alius poſt alium, ſuppliciumque mortis intrepide ſubeunt. Quicunque enim vocatus fuit, non minori alacritate quàm ſi ad convivium aliasvè delicias eundum eſſet, feſtinabat: hoc aut ſimili modo (ut Dn. *Roſacius* deſcripſit) reliquos affatus: *Dilectiſſimi amici, Valete. Det vobis Deus Spiritûs ſui Sancti ſolatia, patientiam, & fortitudinem, ut quod ante corde, ore, manu, aſſeruiſtis, id nunc morte glorioſâ aſſeratis. Ego ecce præcedo, ut videam gloriam Domini mei Ieſu Chriſti! Vos ſequemini, ut ſimul intueamur faciem Patris noſtri. Hâc ecce horâ tranſibit quicquid triſte fuit, inibitque læta æternitas,* &c. Reſpondebant vero qui remanebant: *Proſperet tibi iter tuum Deus, detque tibi feliciter ex hac miſeriarum valle ad cæleſtem tranſire Patriam. Mittat Dominus Ieſus in occurſum tibi Angelos ſuos ſanctos. Præcede frater in domum Patris, nos ſequemur. Mox conveniemus in cæleſti gloria: certi id ſumus per eum in quem credidimus.*

13. Hæc & alia, etiam per atrium Curiæ in Theatrum usque à Ministris comitati, animo præsentissimo, & fervore tanto efferebant, ut sæpius ipsi Prætores & circumstans satellitum turba, in lacrymas fuerint soluti. Et nisi valido tympanorum strepitu, turbarumque clangore, omnium aures exsurdassent, vix possibile fuisset quenquam fletum comprimere. Cum redeuntes Ministri, quam animose hic & ille mortem oppetierit, nuntiarent, laudabant reliqui Deum, simile sibi Divinæ assistentiæ auxilium comprecantes.

14. Sed operæ pretium erit de singulis memorare aliquid.

LXI.

Ioachimus Andreas Schlik ab Holeytsche, Comes de Passaun Swijani Dominus.

VIr erat plusquam quinquagenarius, stirpe ut antiquissimâ cele-berri-

berrimâque, ita eximiis animi dotibus clarus. Heroica enim magnanimitas cum excellenti animi modeſtia, rerumque agendi dexteritas cum ſumma pietate, mirâ temperaturâ in eo emicuerunt. Meritò igitur ab Ordinibus conſiliorum Director fuit electus, poſteaque à Rege Friderico ſupremus Regni Iudex, Luſatiæque Pro-Marchio, conſtitutus.

3. Victoris Ferdinandi manum fugiens, in vicinam Luſatiam ſeceſſerat: ſed Elector Saxoniæ comprehenſum eum (ſuum licet in adoleſcentia Ephorum, optime de ſe meritum, ſuaſore tamen neſcio quo Antichriſti paraſito) hoſtium rabiei objecit. Quam animoſe importunis Inquiſitoribus reſponderit, ſupra memoratum eſt. Abominabilis mortis receptâ ſententiâ (præſertim quod diſſecandus & partes hinc inde differendæ eſſent) reſpondit: *Facilis jactura ſepulchri.* Cum die ſequente Miniſter Verbi (Roſacius) ad eum ingreſſus, animi præſentiam & robur eſſet comprecatus, reſpondit: *Habeo tibi gratiam, mî Pater, pro pio voto. Sed ſcito mihi adeſſe divinam gra-*

tiam, ut nulla mortis formido me inquietet. Ausus sum semel me opponere Antichristo, audebo & mori pro Christo. Constitutus nunc sum in judicio mundi; sed qui nos judicant modo, istos horribilius exspectat judicium.

3. Cùm die Lunæ, post matutinam quintam, tormenti audisset fragorem, dixit: *Iam tessera datur mortis nostræ: Ego primus poscar. At tu domine Iesu Christe miserere nostri.* Infestantibus eum Jesuitis, ut ante resistebat animosè, ita cum jam in Theatrum prodiret, Paterque ejus sectæ *Sedetius* cum alio adstans, eum inclamaret; *Domine Comes recordare adhuc*, respondit: *Iam me facite missum.*

4. Progressus in Theatrum, Solemque purissimo splendore conspicatus, dixit: *Sol Iustitiæ Christe, fac ut per mortis tenebras, ad tuam æternam lucem penetrem!* Tum obambulabat meditabundus, eâ gravitate vultuque ad severam hilaritatem composito, ut viri etiam Principes à lacrymis sibi non temperârint. Peractis precibus, in genua super pannum stratum procidit, ictumque gladii excepit. Mox

manus

manus ei dextra præciſa, ſuſpendenda pôſt cum capite, ferreâ lance ad ſummam Pontis turrim. Corporis truncus panno involutus à pullatis antro illatus eſt, novuſque pannus ſtratus: quod & in reliquis poſtea obſervatum, ne inſequentium quisquam alterius, vel cadaver vel ſanguinem, conſpiceret.

LXII.

VVenceſlaus Baro de Budowa; Monacho-Græcii, Klaſterectii & Zaſadkæ Dominus.

EXcellentis Vir erat ingenii, literaturâ inſignis, (etiam publicis ſcriptis clarus) peregrinationibus per Germaniam, Italiam, Galliam, Angliam, Turciam (ubi ſeptennium exegit) celebris; zelo fervidus, ætate venerabilis (74 annorum); dignitatibus eminens. Nam & ſub Rudolpho inter Conſiliarios, Reformatique Conſiſtorii & Academiæ Defenſores adſci-

adſcitus, & à Matthia ad conſilia adhibitus, & ab Ordinibus Interregni Director, & denique à Friderico Judicii ad Appellationes Præſes, conſtitutus fuit: Patriæ decus eximium, Eccleſiæ ſydus illuſtre, ſubditorum non Dominus ſed Pater; verbo, Deo & hominibus charum caput.

2. Poſt Ferdinandi victoriam ſuos extra Pragam comitatus, (uxorem, filium, nurum, nepotes) ne Coronam (cui tunc Pragæ aſſervandæ cum Dn. Ottone datus fuerat cuſtos) deſeruiſſe videretur, rediit. Domus ejus paulo poſt, uſque ad veſtes quibus indutus erat, direpta: ipſo nihil niſi, *Dominus dedit, Dominus abſtulit*, ingeminante.

3. Conventus (cum jam domi ſuæ Arreſto detineretur) à *Paulo Aretino*, Tribunalis Secretario, interrogatusque: *Eccur cùm eſſet jam in vado, furenti huic tempeſtati rurſum ſe crdidiſſet?* Reſpondit, *Vrgente conſcientiâ id factum; Deſerere Patriam, & cauſam bonam, religio mihi fuit. Ignoro autem conſilium Dei, an forſan ſanguine meo obſignatam eam velit.* Simulque aſſurgens dixit: *Adſum*

mi

ne Deus, diſpone de me famulo tuo, prout beneplacitum eſt in oculis tuis. Satur dierum ſum, tolle à me ſpiritum meum, ne videam ea mala, quæ ventura video Patriæ meæ. Aliâ die ab eodem viſitatus, & de rumore qui de eo eſſet ſparſus, (confectum nempe mœrore exſpiraſſe) edoctus, ſubridens reſpondit: *Mene? mihi vero vix unquam tantis perfrui voluptatibus licuit, uti nunc. Ecce paradiſus meus* (manu Biblia commonſtrans) *nunqnam mihi tam dulce nectar & ambroſiam fundebat, uti jam. Vivo, & vivam, quamdiu Deus volet: nec videbit, ſpero, quiſquam eam diem, quâ Budowecius mœrore exſtinctus dicatur.* Examinatus ab Inquiſitoribus ſæpius, ſtrenuè cauſæ æquitatem defendit: condemnatus, ad Judices dixit: *Sanguinem noſtrum ſitiiſtis dudum, ſanguinem bibite. Sed ſcitote ſimul, non defuturum ſanguini innocenti ultorem Deum, pro cujus cauſa patimur.*

4. Tertio ante condemnationem die narraverat famulo (Zidnowſky) ſomnium, viſum ſe ſibi fuiſſe conſtitutum in amæno quodam prato deambulantem, auxieque de eventu

horum

horum cogitantem : cum ecce quidam accedens librum offerret! Quo inspecto vidit folia sericea, candidissima, nihil autem inscriptum præter Psalmi 37. versum 5. *Devolve super Dominum vias tuas, & spera in eum: Ipse faciet.* Cum iterum, quid id sibi vellet, cogitaret, accessit alius, candidam ferens stolam, quam illi superjecit. Expergefactus senex visum hoc famulo mox narravit: ut & postea in theatrum procedens ad eundem dixit: *Ecce jam pallio justitiæ tectus incedo, ut compaream in conspectu Dei, in quem speravi.*

5. Cum post latam mortis sententiam reductum in conclave duo Cappucini convenissent, causamque adventus sui indicâssent, ut in angustiis constituto misericordiam exhiberent: quærebat, *Ecquæ illa esset misericordia?* responderunt; ut Tibi Domine cæli viam commonstremus. *Cæli viam?* regerit: *Novi eam per misericordiam Dei mei.* Illi rursum: Opinione seduceris Domine. Quibus ille: *Non opinioni, sed infallibili Veritati innititur spes mea: non enim aliam habeo viam, nisi eum qui dixit,*

Ego ſum Via, Veritas & Vita. Sed extra Eccleſiam non eſt ſalus, regerunt illi. Atque hîc ad nugas de Eccleſiæ authoritate delapſi, cum eam ad Papam & Cardinales reſtringerent, odioſeque toties principia petendo, eadem blaterarent, indignabundus Martyr: *Ego vero Papam veſtrum*, inquit, *Diaboli eſſe vicarium ſcio, & Antichriſtum, & filium perditionis, & Beſtiam illam rubentem ſanguine ſanctorum, quem ſorbet, ut & meum meorumque fratrum & conſortum jam. Abſcedite cum illo quo digni eſtis, meque miſſum facite. At ſi forſan ex me viam ſalutis diſcere lubet, ſubſiſtite; non pigebit me animarum veſtrarum cauſâ temporis aliquid impendere, & operæ.* Hîc illi pectora plangentes, & cruce frontem ſignantes abiêre; nunquam ſibi tam blaſphemum hæreticum obveniſſe queritantes.

6. Perendie (ipſo martyrii die) Jeſuitæ duo diluculo ſummo Curiam ingreſſi, iterum ſanctos Viros turbare cæptarunt: cumque ab aliis repulſi, Baronem noſtrum accederent, dixerunt: Videmus Dominum egregie eruditum, cuperemus ejus lucrari

animam,

animam, & misericordiæ opus præstare. Quibus ille: *Mei Patres, vos lucrari animam meam? utinam vobis de salutis vestræ certitudine tantùm constet, ac mihi! Laus sit Deo meo, qui me spiritu suo salutis meæ securum reddit, per sanguinem Agni.* Onè tantum de se præsumat Dominus, regerit Jesuita, & certitudinis illa opinione sibiipsi nè imponat. An enim ignorat Scripturam dicere? *Nescit homo gratiâne an odio dignus sit.* Respondet Baro: *Idne vero misericordiæ opus est, & lucrari animam meam? Vos verò infelices animarum lucratores desperationem mihi instillatis. Erratis autem, miseri, nescientes Scripturam.* Atque hîc verum loci istius sensum eis enarravit, aliaque multa loca, quibus salutis certitudo credentibus asseritur, opposuit. Inter alios illum Pauli: *Scio cui credidi*: item, *Scio mihi repositam esse coronam justitiæ.* Jesuita interpellans. Hem impertinenter, inquit: istud Paulus de se dicit, non de aliis. *Mentiris*, inquit Baro: *Sequitur enim; Nec mihi soli, sed omnibus qui diligunt adventum ejus.* Hîc obmutuit Sophista. Baro autem perrexit:
Quan-

Quandoquidem iſto dicto , *Neſcit homo gratiâne an odio ſit dignus* , conſtringere me cupitis , Age , dicite ubi id ſcriptum eſt; En Biblicum codicem ! Hic Ieſuita ad ſocium: Ubi exſtat ? reſpondet alter , Ni fallor ad Timotheum. Baro exardeſcens: *Aſine, tu me ſalutis viam docere vis , qui tantillum verbum in ſacro Dei codice ignoras? Apage à me Satan , & me tentare deſine.* Demum igitur tam notabiliter confuſi, receſſerunt. Stabantque (dum ſe ſancti Martyres jamjam agoni parabant) è longinquo , non aliter ac cacodæmona pingunt, cum pœnitentem peccatorem deſerere & abſcedere cogitur, torve illum reſpectans. Et veriſimile eſt, nihil in toto hoc Martyrii proceſſu tam uſſiſſe Satanam, quam quod ab omnibus ſe deſpici & conſpui videret.

7. Paulo poſt vocatus, in theatrum progreſſus eſt Baro , geſtientique ſimilis caput & promiſſam demulcens barbam , dixit : *Mei cani , ecce , quis vos exſpectavit honor , ut Martyrii corona vobis imponenda ſit* ! Mox ad Deum converſus, pro Eccleſia , Patria , hoſtibus,

ſtibus, oravit, ſuamque animam Chriſto commendavit. Cujus reciſum à corpore Caput poſtea turri expoſitum, corpus ſepulchro illatum.

LXIII.

Chriſtophorus Harant, Baro de Bezdruzitz & Polzicz, Petzkæ Dominus.

EUropæis, Aſiaticis, Africaniſque peregrinationibus (quas etiam linguâ patriâ conſcriptas vulgavit) non ſolùm comparaverat ſibi nomen, ſed & rerum prudentiam: ut primum à Rudolpho in Cubiculariorum numerum adſcitus, deindeque à Matthia Cameræ regiæ Conſiliarius, tandem à Friderico Cameræ Regni Præſes, conſtitutus fuerit. Latæ in eum mortis ſententiæ hæc pronuntiabatur cauſa, quod expeditioni Ordinum in Auſtriam interfuiſſet; & Friderico juramentum, à juramento priori non abſolutus, præſtitiſſet; quod tamen utrum-

utrumque ei cum multis etiam Pontificiis, commune fuit: ut evidentissimum fieret, Religionis odio prætextus quæri Politicos. Luserant enim in ipso convertendo sæpius operam Jesuitæ.

2. Prodituruss jam ad supplicium, accersit ad se Ministrum Verbi, Rosacium, eique, quàm sollicitus esset de Conjuge & liberis significabat. Nosse enim Uxoris in Religione frigiditatem, & nè quid monitore destituta in se vel liberos designet, metuere. Consignâsse quidem scripto, & ei tradidisse, quorum eam meminisse cuperet: rogare tamen, ut ipse Pastor eadem hæc inculcare velit. *Primò*, ut in Religione Euangelica, quæ una sola expeditam & infallibilem salutis viam, misericordiæ Dei per merita Christi Fiduciam, docet, constans esset, nec ullis blanditiis ab ea seduci pateretur: memor nempe ejus, quod sæpius ex sese audisset, *se totius Orbis Religiones examinasse, & contulisse cum Scripturis, nihilque certius aut solidius reperisse, quam quod jam sanguine suo esset obsignaturus, per Sanguinem Agni*

Agni nos consequi salutem, quam & ipse jamjam certò sit consequuturus. Cujus gloriæ si & ipsa vellet fieri particeps, eadem in fide perseveret. *Secundo* rogare, ut erga subditos lenitate majore utatur, onera potius remittat, quam augeat. *Denique* mandare, ut filiorum habeat curam, inque pura Religione institui curet. Alioqui, si culpâ suâ fuerint seducti, citare ipsam ad Christi tribunal. Hæc ille pluribus verbis, magno cum pietatis affectu & obtestationibus solennibus. Sed procax fœmina nihil horum servavit, Deo, Conscientiæ, liberis, subditis, perfida. Paulo enim post homini Apostatæ nupsit, filios Jesuitis tradidit, ipsa defecit, in subditos simul corporum & animarum tyrannidem exercuit.

3. Vocatus ad supplicium, dixit: *Tot peragravi Orbis Regiones, tot adii barbaras gentes, tot expertus terrâ marique pericula; nunc ecce in patria obtruncor innocens! Et quidem eorum manu, quorum servitiis traduxi vitam, ut & patres mei. Deus ignosce eis.* Inter prodeundum oravit: *In te domine speravi, non confundar in æternum.* Progressus in thea-

theatrum, sustulit oculos & dixit; *In manus tuas Domine Iesu commendo spiritum meum.* Cum obambulâsset tacitus, accessit ad stratum illum feralem pannum, constitit, iterumque in hæc verba erupit: *In Te Domine speravi à juventute mea! confido & certus sum me per ignominiosam Servatoris mei, filii tui mortem, post ignominiosam hanc meam mortem gloriâ tuâ exceptum iri. Ideoque* (procidens in genua addidit) *Tibi commendo animam meam: redemisti eam Deus verax & fidelis.* Et cum Carnifex nondum accederet (erat enim Euangelicus, nec festinabat in quenquam, donec preces commode absolvisset) ille moræ adhuc aliquid sentiens, iterum exclamavit, *Domine Iesu, Fili Dei vivi, miserere mei, & suscipe Spiritum meum.* Atque cum hac voce accedentis à tergo spiculatoris gladius caput ei abstulit.

LXIV.

Casparus Kaplirz de Sulewitz, Eques, annorum 86.

CUm hunc Minister Verbi (Rosacius) post latam mortis sententiam invisisset, excepit eum oculis quidem lacrymabundis, mente tamen hilari, his verbis: *Ecce me miserum senem, qui sæpius Deum meum oravi, ut mei misertus divelleret me ab hac vita, sed non impetravi: reservabat me ecce Deus, Mundo in spectaculum, sibi in victimam. Fiat voluntas Dei! Mors mea in oculis hominum ignominiosa erit, in conspectu verò Dei gloriosa. Nam pro gloria & Veritate ejus mihi subeunda est, quam ille* (credo) *pretiosam habebit in conspectu suo.* Cum eum consolatoriis verbis Minister erigeret, petiit confessionem suam audiri, absolutionemque sibi annuntiari, & Sacrâ Cænâ roborari fidem & spem, quam habeat in Deum. Confessus igitur se peccatorem, potissimum vero in juventute

ventute nonnihil ad Mundi placitum, ex ſeculi more, egiſſe; laudabat tamen Deum, qui non abſorberi ſe paſſus, ad caſtigatioris rectiusque compoſitæ vitæ ſtadium revocaverit.

2. Dixit tandem, *Per miſericordiam Dei mei, ſervavi fidem & conſcientiam Deo, Regibus meis, & Patriæ. Quatuor Cæſaribus ſervivi, fideliter ſemper.* N*unc autem quod talis mihi reportanda ſit merces, id juſto judici, DEO, commendo: qui novit, quicquid in hoc negotio à me actum eſt, neque mihi gloriam vanam, nec opes, fuiſſe quæſita. Sed connivere nequivi ad Libertatis & Religionis oppreſſionem, & quia nos jam fuiſſe circumventos vidimus, tentandum aliquid rati, maluimus vitas exponere noſtras, quam ignavo ſilentio admittere jugum, & poſteritatem prodere. Quod autem ſuccubuerimus externè, agnoſco voluntatem Dei, qui me & dilectos conſortes in extremo hoc ſeculo elegit, per quorum ſanguinem conſecoraretur, & quorum conſtantiâ illuſtrior fieret Veritas ejus. Et quamvis caro poſt auditam mortis ſententiam trepidare cœperit, tamen jam, Dei beneficio, nullum ejus ſentio horrorem.*

3. Ubi Minister nonnulla interfatus, salutis spem non à fiducia bene sibi consciæ mentis, sed à fiducia misericordiæ Dei per Christum, potissimum pendere, admonuisset; perrexit Senex pius: *Heri mihi à matertera mea, Pruskovia, nuntiatum est, si vellem à Principe* (Lichtensteinio) *petere, posse mihi vitæ gratiam fieri: sed ita ut carceri inclusus maneam ad dies vitæ. Ad quæ ego respondi, istam mihi gratian esse inutilem, sed & inconvenientem. Nan si gratiam peterem, redderem me suspectum quasi mali perpetrassem aliquid, & morten fuissem promeritus, quam non sum. Di itaque, me quæsiturum esse ejus gratiam cui per vitam meam multa peccavi: Prin cipi vero nihil. Sed etsi ultro carcerem pr morte offerant, commutatio ista molestis sima mihi esset. Ego enim decrepitus senex dudum jam vitæ satur fui. Nam cum ci borum sapores non dignoscam, potûs sua vitas me non afficiat, sedere diu tædeat cubare pigeat, ambulare verò nequeam, ni scipionibus innixus, aliorumve manibu huc illuc translatus; Eccui mihi usui tal vita? Et, si hanc liberam vix fero, quo modo carcerem ferrem? Avertat igitur Det* n

me à ſancto hoc Martyrum ſodalitio divelli, &c.

4. Poſtero die (quæ fuit Dominica) ſacrâ Euchariſtiâ uſus, dixit: *Eja, reconciliatus jam Deo meo per Chriſtum pacem habeo, nec extimeſco hominem. Confidenter cum Davide dico: Conſumatur caro mea & corpus meum: Deus tamen Petra eſt cordis mei, & portio mea in æternum. Iam nihil eſt, quod remoretur cogitationes meas in terra, præter nepotes meos, pro quibus te Chriſti ſerve oro, ut quicquid in exhortandis illis ad pietatem & conſtantiæ, cujus in me exemplum vident, imitationem, poteris, ne intermittas. Quanquam ſcio, nè vos quidem Patres & animarum Paſtores noſtros, extra periculum fore. Nos præimus, vos ſequemini. Sed Deus vos cuſtodiat propter gloriam ſuam, nec à beſtia Babylonica penitus Eccleſiam proculcari patiatur.*

5. Die ſupplicii, cum Verbi Miniſter eum accederet, dixit: *Reclinaveram miſerum hoc corpus ſuper pulvinar: ſed qualis mihi potuit eſſe ſomnus? Indormieram tamen, & vidi venientes Angelos duos ad me, qui linteo pretioſo vultum meum detergebant, & ut ad ſecum abeun-*

dum essem paratus hortabantur. Credo autem Deo meo præsentes me habere, non per somnium, sed vere Angelos Dei, qui mihi & dum vivo inserviunt, & à morte animam meam in sinum Abrahæ deportabunt. Quamvis enim peccator sim, purgatus tamen sanguine mei Redemptoris, qui propitiatio factus est pro peccatis nostris. Ideoqu veniat mortis hora, paratus sum.

6. Indutus vestes solitas, jussit sib camisiam è syndone purissimo ad talos usque demissam, superindui, di xitque ad M. Lippachum, *Ecce indu vestem nuptialem.* Cui ille, Toga Justitiæ Christi interne splendidius decorat. Ille rursum: *Scio. Ego tamen i honorem mei sponsi exterius etiam exornai cupio.* Tandem jussit se holoserico ami ciri pallio, vocatusque dixit: *In nomi ne Dei! atqui exspectabam dudum jam* Surrexit igitur, à famulis adjutu valedixit omnibus, ibatque præ sen languore gradu lento. Descensuru per gradus quosdam ad pegma, dixi *Mi Deus corrobora me, ne præceps labar, i risuique sim hostibus.*

7. Ad locum destinatum ubi veni difficilime genua flexit, semicernuu

Rogaverat autem Carnificem mone-
ri, ut quamprimum procubuiſſe vi-
deret, ictum ne differret, ne conci-
dere languore contingeret. Sed Car-
nifex ita cernuum & incurvum vi-
dens, ferire noluit. Miniſter igitur
(Roſacius) Prætorum nutu, dixit:
*Generoſe Domine, qui animam tuam com-
mendaſti Chriſto, jam & canum hoc ca-
put alacriter Deo offer, & cælum verſus eri-
ge. In nomine Dei*, reſpondit ille, quan-
tumque poterat, caput elevans, *Do-
mine Ieſu, in manus tuas commendo ſpi-
ritum meum*, dicit, ſimulque capite
decuſſo concidit.

CAP. LXV.

Procopius Dworzecſky de Ol-bramowitz, &c.

AUdita mortis ſententiâ reſpondit, *Ergone meo etiam capite ablato ali-quid ſibi Cæſar pollicetur? Auferat igitur.* Poſtridie ad Miniſtrum Verbi dixit: *Lucta mihi totâ nocte hâc fuit cum vetere*

Adamo, ad ſudorem uſque. Sed gratia ſit Deo meo, cujus auxilio ſuperavit omnes tentationes Spiritus meus. Addidit autem: *Omnipotens Deus, Tibi commendavi animam meam, tu eam tuere ac fove: ſimulque famulum tuum robora, ne trepidatione aliquâ mortis deridiculo ſim hoſtibus. Tu qui erigere ſolitus es Martyres ſanctos, etiam me, firmiter credo, confortabis.*

3. Cum ad ſupplicium evocaretur, promptè reſpondit: *Gratia ſit Deo meo, qui me jam ad ſe revocat: huic vixi, huic moriar. Nam quia Servator meus ideo mortuus eſt & reſurrexit, ut vivis & mortuis dominetur. ſcio victuram hanc animam meam: corpus autem reſuſcitatum ſimile futurum glorioſo corpori ejus.*

3. Ingreſſus theatrum, obvertit ſe Judicibus Cæſareis, & dixit: *Dicite Cæſari, nos nunc ſubire judicium ejus injuſtum, illum autem experturum eſſe gravius, ſed juſtum Dei judicium.* Interea dum exſuit veſtes, marſupiolum cum unico aureo Hungarico, Miniſtro Verbi tradidit; *Ecce*, inquiens, *poſtremas meas opes, eas jam quoque mihi inutiles, tibi reſigno.*

4. Et cum collo appenſum aureum num-

nummum, quo Friderici coronatio fuit expressa conspexisset, demit hunc, & adstantium cuidam tradidit, his verbis: *Adjuro te, ubi dilectus meus Rex Fridericus recuperârit Regni sui solium, ut hunc ei tradas nummum, commemoresque, me hunc ejus amore ad mortis usque articulum gestâsse, nunc autem pro DEO & Rege meo non invitum deponere vitam.* His dictis genua flexit, & inter suspiria gladio percussus, Spiritum reddidit Deo.

LXVI.

Fridericus de Bile, Rzehlovicii Dominus.

VIr antiqua fide & simplicitate, eruditusque, Regis Bohemiæ Consiliarius, deinde ab Ordinibus constitutus interregni Director, patienter & pie supplicium pertulit.

Cap. LXVII.

Henricus Otto de Loſs, Komarovii Dominus.

VIr ingenii ſagacis fuit, & magni conſilii. Ideo ſub Rudolpho jam inter Religionis Defenſores, poſtea inter Directores Regni, numeratus: à Rege vero Friderico Judicii Cameræ Aſſeſſor, & cum Comite Turnenſi Carlſteinenſis Burggravius conſtitutus.

2. Hic perceptâ ſupplicii ſententiâ, dixit: *Mi Cæſar, ſtabili verò thronum Tuum ſanguine noſtro. Sed quam Deo reddes rationem, die Iudicii experieris. Vidi gentes barbaras, truculentiam verò ſimilem, nec vidi nec audivi: in partes homines diſſecari, aliô capita, aliô manus, aliô corporis partes, diſtrahi! quæ iſta immanitas! Mittant tamen partem mei Romam, aliam partem in Hiſpaniam, aliam item in Turciam, alias trans mare, quôcunque lubeſcit: credo ego Servatorem meum tamen has congregaturum, & circumdaturum*

rum me cute meâ, ut his oculis eum videam, his auribus audiam, hoc ore laudem, hoc corde exsultem, in æternum.

3. Cum à Domini Dworzecii supplicio in Curiam rediret Pastor, Rosacius, (aliis interim Dominum de Bile comitantibus) Dominus Otto tanquam ecstaticus de sedili se proripuit, eum his verbis affatus: *O quam gaudeo Te mihi dari, Vir Dei, ut cum gaudio quid acciderit modo referam. Consederam in hac sella anxius intra memetipsum, quod mihi non contigerit habere nunc è meis Verbi Ministrum, qui absolutionem & Eucharistiam ministrâsset: dolereque cœpi, & doleo, non Tuis sacris fuisse usum. In his verò cogitationibus momento indormivi, & ecce apparuit mihi Servator meus, qui dixit: Sufficiat tibi gratia mea: Ego enim Sanguine meo emundo te! Demisitque guttam sanguinis in Cor meum, à cujus contactu evigilavi & exsilui. Crede autem, sentire me mirabilem quandam in corde refrigationem.* Addiditque elevatis manibus: *Gratias tibi ago benignissime Servator, qui me tanto afficere solatio, & de gratia Tua tam certum reddere dignatus es! Iam demum intelligo, quid illud sit,*

Crede & manducaſti. Eja non amplius mortem extimeſco! moriar cum gaudio.

4. Mox à Prætore vocatus, rogavit Roſacium, ut ſe comitaretur: qui annuens dixit: *Modo Tibi apparuit Dominus* IESVS *in ſomno, jam apparebit per viſionem beatorum, uti eſt in gloria ſua. Certus ſum,* reſpondet ille: *Iam nunc eum prodire cum Angelis ſuis animæ meæ obviam, ut eam ad æternas deducat nuptias, ubi calicem novum, calicem gaudii, cum ipſo bibam in æternum. Ah mors hæc non me ab ipſo ſeparabit, ſcio.*

5. Progrediebatur autem precibus intentus, uſque in theatrum: ubi elevatis ſurſum oculis, exclamavit: *Ecce video cælos apertos!* manuque protenſâ oſtendit ad verticem fere cæli locum, ubi & alii ſplendorem quendam aciem perſtringentem, notârunt. Progreſſus in locum ſuplicii, procidit in faciem, tacitusque oravit: tum ſurrexit, thoracem depoſuit, genua flexit, & clamavit: In *manus tuas Domine Deus commendo ſpiritum meum: per* IESVM *Chriſtum, miſerere mei, & aſſume me ut videam gloriam ejus!* Hoc dicto, ictum gladii excepit.

LXVIII.

Dionyſius Czernin de Chudenitz.

PONtificiæ Religioni, per multos annos Cæſaris aulæ inſerviens, ſeſe addixerat. Crimini autem ei dabatur, quod cum fuiſſet Arcis Regiæ Capitaneus, Ordines armatos ſub primum illum (Anno 1618) tumultum, in Arcem intromiſiſſet. Sed prætextus fuit. Ille enim factum id ſupremi Burggravii juſſu, cui parere neceſſe habuit, demonſtraverat, eoque modo ſe purgaverat ſufficienter. Sed quia ob moderata ſemper, & Jeſuitis inutilia conſilia, hæreſeos tamen fuit ſuſpectus (quod & poſt patuit) tollendus hâc occaſione videbatur. Præſertim cum ratione iſtâ obtineri poſſet, ut ſuſpicioni minus obnoxius redderetur totus ille proceſſus, quaſi non contra Religionem fuiſſet directus, quoniam ne Catholicis quidem fuiſſet parcitum.

2. Cum Dn. Roſacius Euchari-

ſtiam Dn. Haranti & Konetzchlumſcio adminiſtraret, & ſub præparationem, In una miſericordia Dei & meritis Chriſti ſalutis ſpem eſſe reponendam moneret, Deique fidelibus factas de remittendis in Chriſtum credentibus peccatis, ſalutiſque certitudine, promiſſiones annunciaret, ille præſens pectus percuſſit, & lacrymabundus exclamavit: *Hæc mea quoque eſt fides, in hac morior.* Cum abſolutio manuum impoſitione cõferretur: ipſe quoque excepit, ſpemque prorſus participaturum ſe de Euchariſtia excitavit. Sed ſub Communionem tamen ad partes ſeceſſit, ſeorſumque flexis genibus tam ardenter, ut reliquis miraculo eſſet, oravit. Cum actu finito, reliqui agerent Paſtori gratias, ille in hæc erupit verba: *Gratias ego quoque ago Deo meo, quod me hic intereſſe voluerit, Vobis autem dilectiſſimi amici animitus gratulor, hanc piam & ſanctam morti præparationem.* Reſpondet Roſacius: Et tibi Domine patuit gratiæ Dei via, ſperabamuſque, poſtquam eandem nobiſcum profeſſus eras fidem, admiſeraſque abſolutionem,

Te Testamento quoque Christi subscripturum &c. *Fieri ut'que id poterat*, regerit ille, *& forsan debebat : Sed*! Hâc voce conticuit, percussit pectus, suspiravit, & lacrymas emisit. Paulò post addidit: *Acquiesco nunc eâ gratiâ, quæ contigit mihi : confidoque Deo meo, illum quoque accepturum gratiose contritum spiritum meum.* Certum est repositam ipsi adhucdum fuisse spem in gratia hominum, à qua tamen excidit.

3. Deducebant in theatrum Canonicus quidam cum Jesuita, quorum tamen ille sermones, exhortationes, consolationes, & cætera crepundia, parum visus est attendere. Nam & à Pacis, quam vocant, osculo faciem avertit, & Crucis imagini terga obvertit: provolutus verò in faciem, oravit pronus tacitusque. Erectus postea, & in Cælum suspiciens, exclamavit: *Corpus eripere possunt, animam non possunt : Tibi eam commendo Domine IESV.* Ita vitam finiit: annorum circiter 56.

CAP.

Cap. LXIX.

VVilhelmus Konezchlumſky.

SEptuagenarius erat: & cui per annos aliquot pedes officium negârant. Huic dabant crimini, quod hoſtes Cæſaris conſiliis & ope adjutaſſet. Vocatus ad ſupplicium dixit: *Ibo & moriar, nec ſcio quare. Domine IESV, qui innocens ſubiiſti mortem, da mihi mori morte juſtorum, & recipe animam meam in manus tuas*, &c.

LXI.

Bohuſlaus de Michalowitz, Ruvenicii Dominus.

VIr erat animi dotibus & zelo Dei excellens, de Regibus & Regno Bohemiæ multum meritus.

2. Addictus morti, *Gratius id ſibi accidere*, dixit, *quam ſi Cæſar vivere juberet, quantumvis & bona ſua ſibi reſtitueret*.

stitueret, & alia superadderet. Scire enim se arcana istorum, & videre quid secuturum sit. Metus & dolor mortis, inquit, *paucarum horarum sunt, post quies optata.* Interrogatus cum cæteris à Ministro Verbi: Vtrum agnoscerent juste se ad mortem hanc condemnatos? Respondit ille: *Si culpam horum malorum in nobis agnosceremus, fateri & deprecari non erubesceremus. Sed noluimus procidere & petere gratiam, ne debitum Deo honorem deferremus homini, & innocentiam ipsimet proderemus nostram. Novit enim Deus, Pontificios subornatis dolis id egisse, quod jam agi videmus. Irritârunt nos jam dudum ad arma capienda: nunc autem multa nobis imputant per calumniam, quæ nunquam venerunt in mentem. Testis est nobis Deus, nihil nobis præter libertatem Religionis quæsitum fuisse: quod autem superati & ad mortem sumus condemnati, agnoscimns Deum, non gladio nostro, sed sanguine nostro, propugnatam velle Veritatem suam. Moriemur itaque, spe certâ, mortem nostram martyrium fore in oculis Dei: quin & mori festinamus, ut sanctorum martyrum annumeremur choro.*

3. Quæ

3. Quæ martyrii aviditas etiam in mortis articulo se prodidit. Nam cum Dominus de Bile per Prætorem evocaretur, ille quasi æmulationi adhuc esset locus, *Eccur*, inquit, *de Bile mihi præfertur in morte, cui in vita praibam semper?* Surrexit tamen & ipsum amplexus osculatusque dixit; *Ipra, frater, sic volente Deo, ego sequar.* Cum interim Dn. Otto, Czernin, Konezchlumsky, ex ordine postularentur, ille præteriri quasi metuens, tristi voce, *Ecquid sit, mi Deus?* inquit: *Atqui scis me tibi totum me resignasse. Ah ne sperne famulum tuum, propera ut eripias me!* Redeuntem Prætorem conspicatus Verbi Minister, dixit: Ad quam festinas gloriam: jam aderit: jam enim accedunt qui Te vocent. Ille exultabundo similis: *Laus tibi sit mi Deus, quod jam eripiendus sim Mundo, ut sim cum Christo!* Perrexitque in occursum.

4. Cum Minister dictum Christi, *Non relinquam vos orphanos*, suggereret, ille subjunxit: *Ita promisit Salvator, sed addidit quoque: Pater, ubi ego sum, volo & servum meum esse, ut videat gloriam quam dedisti mihi. Quia igitur*

Pater

Pater cœlestis ejusdem est cum Filio voluntatis, scio ratum esse hoc: ideò mori festistino, ut cum Christo *sim, & videam gloriam ejus, &c.* Tum animose martyrium subiit.

CAP. LXXI.

Iohannes Theodorus Sixtus.

LIteraturâ rerumque usu spectatissimus Vir, ut & Religione insignis, Antiquæ Urbis Civis nobilis, productus in theatrum usque, vitæ nuntium accepit, Plateysio Canonico, suo ex sorore nepote, rem procurante. Factus deinde cum aliis pro Christo exul, exulat dum hæc scribimus, & in cruce Christi exultat, redivivus martyr, hactenus.

LXXII.

Valentinus Kochan, Civis Neo-Pragensis.

VIr bene literatus erat, & liberalium artium Magister, annorum circiter sexaginta. Is quia sub Rudolpho Consistorii & Academiæ Defensor factus, Anno 1617. cum Ferdinandus in Regem obtruderetur, Pragensium loco verba faciens, *nullo modo sine Moravis & Silesiis Regem eligi, multo minus coronari posse*, protestaretur, odium in se tantum derivavit, ut Protonotariatus in Nova Praga officio dejectus, nunc autem interveniente Directorali dignitate morte dignus visus sit.

2. Dn. Rosacio ad se vocato, Eucharistiam sibi administrari petiit: *de iis qui initum inter Ordines Evangelicos (N.B.) Consensum non satis reverenter habuissent, & ob sententiarum vel ceremoniarum diversitatem lites odiaque exercendo, Antichristianam hanc persequutionem promovissent, multa conquestus.*

3. Toto

3. Toto carcerum tempore multa pie differens, feipfum & cæteros egregie animabat. Inter alia, paulò poft mortem fubiturus, locum Pauli, *Noftrum πολίτευμα eft in cælis*, explicans, dixit: *Fideles, dum vivunt, corpore quidem in terra effe, converfatione verò in cælis*; id eft, *umbram eorum effe hîc, ipfos revera jam regnare cum Chrifto in excelfis. Multò magis igitur animas à corpore feparatas mox cum Chrifto effe, ut ne cogitari quidem aliter poffit.*

4. Procedens ad theatrum dixit, *Da mihi Deus, ut tenebricofam mortis vallem penetrem, & mox in terra viventium te videam. Atqui fcis, mi Deus, me dilexiffe Verbum tuum.* Tum cantabat Pfalmi 16. verfum ultimum rythmicè: *Deduc me Iehova per femitas vitæ, ut videam gaudiorum fatietatem in confpectu tuo*, &c. Mox: *Nunc dimittis Domine fervum tuum in pace: quia viderunt oculi mei falutem tuam*, &c. Tandem flexis genibus, & voce altiffimâ verba Pfalmi (Latine) recitans: *In manus tuas Domine commendo Spiritum meum, redemifti me Deus Veritatis!* vitam fanctè claufit.

CAP.

CAP. LXXIII.

Tobias Steffek, Civis Neo-Pragensis.

ET hic ob animi dexteritatem ab Ordinibus in Directorum numerum lectus fuit, Vir animi sedati, & pietate non fucatâ: qui captivitatis suæ tempus tacitis suspiriis & lacrymis fere traduxerat.

2. Ante supplicium dixit: *Multa bona suscepi de manu Domini per totam vitam: an igitur non & calicem hunc tribulationis suscipiam? Consilium Dei amplector, qui me per ignominiosam hanc mortem assimilat imagini filii sui, & per viam angustam introducit in cæleste regnum suum. Quin gratias ago misericordiæ Dei, quod me immeritum his eximiis Viris adjunxerit, ut cum illis martyrii suscipiam coronam.* Vocatus ad mortem complosit manus, cælumque suspiciens, vultu tristi & oculis lacrymantibus dixit: *Servator meus pro me moriturus, clamavit: Pater non ut ego volo, sed prout tu; Tua*

fiat

fiat voluntas! Egone igitur vermiculus, quin pulvis & umbra, voluntati ejus contra eam? Absit. Eja venio obsequenter, mi Deus. Miserere tantum mei, & expurga me à peccatis meis, ne ulla mihi cohæreat macula vel ruga, ut purus compareant in conspectu tuo. Minister Verbi subtristem videns, verbis Dei consolabatur: qui respondit: *Pusillum adhuc, & auferet Dominus lacrymas de oculis meis, cessabitque gemitus, & dolor, & planctus, æternis commutata gaudiis.* Ita perrexit, plenus quidem suspiriis, sed & spe: in quibus, orans perpetuo, spiritum Deo reddidit.

CAP. LXXIV.

Iohannes Iessenius, Medicinæ Doctor.

NAtione fuit Hungarus, Vir nobilis, eruditione tamen toti Europæ notus. Academiæ Pragensis constitutus Rector, passus est sibi ab Ordinibus legationem (Anno 1618) ad

ad Hungaros demandari: quam cum expedivisset fideliter, in reditu captus & Wiennam deductus, à Matthia tamen Imperatore paulo post (permutatione Itali cujusdam ab Ordinibus capti) dimissus fuit. Sed Ferdinandus, Pragâ potitus, hunc iterum comprehendi, & cum aliis asservari curavit: Cujus ille sanguinolentum in Euangelicos, & potissimum in se, cum nosset animum, nihil nisi id quod evenit exspectabat.

2. Narravit amicis, se Wiennâ rediturum Pragam, in carceris pariete adscripsisse literas, I. M. M. M. M: quas cum à discessu suo legerent varii, nec intelligerent, ingressum tandem Ferdinandum, & interpretatum sic; *Imperator Matthias Mense Martio Morietur.* Simulque arreptâ cretâ, adscripsisse itidem Prophetiam; *Iesseni Mentiris, Malâ Morte Morieris.* Hæc memorans Jessenius, addebat: Ut ego mentitus non sum, (decesserat enim Matthias eôdem Mense) ita procul dubio Ferdinandus operam dabit, nè se vanum fuisse Vatem dici posset: uti & factum.

3. Au-

3. Auditâ trifti condemnatione, dixit: *Ignominiosè , & immaniter nimis, tractatis nos : sed scitote non defuturos qui capita nostra , ignominiosè à Vobis spectaculo exposita, honestè sepulturi sint.* (Quod & factum Anno 1631, cum post victoriam Guftavi Lipfenfem Saxoniæ Elector fuo cum Exercitu Bohemiam ingreffus Pragam occupaffet. Permiffu enim Electoris à Comite Turnenfi Capita martyrum de turri Pontis fublata, magnâque Nobilitatis, Populi, Miniftrorumque ab exilio redeuntium frequentiâ, folemniffimo proceffu in Templum ad lætam Curiam deducta, & poft habitam in memoriam martyrum concionem, Viris certis ad fepeliendum, in loco quem nemo hoftium fciret, concredita funt.)

4. In convertendo Jeffenio Jefuitæ multam fibi, fed vanam, defumebant operam. Cum Operum juftificationem urgerent, Ille, *Mei Patres*, inquit, *etiamsi ad vestras partes nunc transire vellem, vereor tamen valde, cum exiguum mihi vivendi spatium supersit, ut tantum Bonorum Operum cumulum, quantum requiritis, perficere possim : & tum quid de*

de salute mea fieret? Ad hæc mox eorum unus, quasi jam parata esset victoria; Mi Jesseni, sit modo Tibi prompta voluntas ea faciendi, licet hoc ipso momento esset moriendum, promittimus tamen Te statim in cælum evolaturum. Tum Jessenius: *Eho, ubi manet Purgatorium, illis, qui explere hîc Bonorum Operum mensuram nequibant, destinatum*? Ita illi se irrideri videntes, secesserunt.

5. Productus in theatrum, & ad Judices conversus (sed ob tubarum & tympanorum strepitum vix auditus) dixit: *Frustra Ferdinandus tyrannide stabilit Regnum: Fridericus tamen regnabit.* Accedenti Carnifici, & linguam præcidendam poscenti, prompte (quanquam prius hoc sibi maxime dolere dicebat, quod linguâ illa, quâ cum laude ad Cæsares, Reges, Principes, perorasset, tam ignominiose privandus esset: addebat tamen; fædam hanc dilaniationem resurrectioni nihil obfuturam) exseruit. Mox in genua procidit, & balbutiendo Deum invocans, capite quoque plectitur. Quod cum aliis capitibus ad affigendum
post

poſt ſepoſitum: truncus verò à Carnifice ſacco intruſus, & extra portas (reliquorum ſupplicio abſoluto) ſub ſcalis Gemoniis diſſectus, quotuorque palis appenſus eſt.

CAP. LXXV.

Chriſtophorus Khober, Micro-Pragenſis Civis.

HEroico præditus animo, & quia ætate cæteris de Ordine civico inteibat, de multis quæ ad conſtaniam faciebant, pie diſſerebat. Inter lia cõſiderare jubebat quam glorioſa it Prophetarum, Apoſtolorum, Maryrum, etiam Huſſi & Hieronymi, meoria: non aliam ob cauſam, niſi quod roteſtimonio JESU Chriſti vitas epoſuiſſent. Eccur igitur ſibi vellent nvidere, ſi Deus ſanctiſſimo huic horo annumeratos velit; Item, ciabat Ignatii verba: *Frumentum Dei im, beſtiarum dentibus commolar: nos uoque* (inquiens) *in Eccleſiæ agro ſati*

frumentum Dei sumus, quod ut in usum Domino suo cedat, nunc à Bestia conterendi sumus. Sed bono este animo, (addebat) *Sanguine fundata est Ecclesia, sanguine crevit. Potens est Deus è singulis sanguinis nostri guttis millenos sibi excitare cultores. Nam quamvis Veritas nunc vim patiatur, Christus tamen regnat, & regnabit: nemo eum deturbabit de throno suo,* &c.

2. Ad supplicium vocatus, dixit: *Venio, in nomine Dei mei; nec erubesco pati hæc pro gloria ejus. Scio enim cui credidi. Pugnam pugnavi, cursum consummavi,* &c. Ad locum morti destinatum animose, tanquam cum morte luctaturus, procedebat, quem ut attigit, constitit, & dixit; *Hîcne mihi moriendum? Hem, non moriar sed vivam & narrabo opera Domini in terra viventium.* Tum veste depositâ & orans *In manus tuas Domine,* &c. martyrii suscepit coronam,

CA

CAP. LXXVI.

Iohannes Schultis Primas Kuttebergensis.

PRoditurus in theatrum, verbis Psal-
mi seipsum erigebat, *Cur tristis es
nima mea? Spera in Deum, quia celebrabo
um pro salute reddita mihi.* Cum prodi-
et dixit: *Videntur Justi in oculis insipien-
ium interire, qui tamen ad quietem ve-
iunt.* Et paulo post: *Domine IESV
hriste, tu promisisti, quicunque ad te
enerit eum te non repulsurum. Ecce ego
unc venio! respice igitur me, miserere
ei, remitte peccata, & animam meam
d te recipe.* Tum se prostravit in fa-
iem dispansis manibus, & inten-
ssimâ voce clamans, *Veni, Veni Do-
ine IESV, & noli tardare:* erectus-
ue rursum in genua, gladium exce-
it. Caput ejus Kuttebergam transla-
um, & pro porta paxillo affixum.

CAP. LXXVII.

Maximilianus Hoſtialek.

ZAtecenſium Conſul erat primarius, Vir eruditus & pius, ideoque Directorum quoque adſcriptus numero. Morti addictus, triſtior cæteris apparuit. Cauſam à Miniſtro Verbi rogatus, reſpondit: In mentem ſibi venire juventutis peccata. Quamvis enim ſciat nihil ſupereſſe ad condemnationem illis qui in Chriſto JESU ſunt, exercere tamen Deum erga ſuos tam juſtitiam quam miſericordiam, &c. Vocatus ad mortem, dixit: *Reſpice Domine Deus meus, illumina oculos meos, ne in morte obdormiam, ne dicat inimicus meus, Prævalui.* Tandem verba Simeonis, *Nunc dimittis* &c. recitans, percuſſus eſt, & caput in foro Zatecenſi ad cippum ſpectaculo expoſitum.

CA

CAP. LXXVIII.

Iohannes Kutnaur, Senator Antiquæ Pragæ.

ÆTate omnium minimus (vix enim quadragesimum expleverat annum) magnanimitate cunctis fere superior. Cum Jesuitæ ad eum ingressi sermonem auspicarentur, interrupit, & : *Quæsumus*, inquit, *Domini Patres, ne turbetis conscientiam nostram. Nos solatiis adversus mortis agonem satis instructi sumus: Vestrâ ope nihil egemus.* Pergentibus illis loqui, dixit: *Ne audiemus quidem, tacete. Cur enim vobis inutilem laborem, nobis molestiam, creetis?* Dicente ad socium Jesuitâ: Duri sunt isti cautes, moveri se non patiuntur; respondit, Recte dicis Pater: *Dura est Petra Christus, & nos immotè fixi in ipso.*

2. Quomodo singulari quadam fidei πληροφορίᾳ miraculum aliquod sub martyrii horam prædixerit, atque id evenerit, supra memoratum est

(LX. §. 9.) Dixerat quoque ad ſocios: *Suſpendium mihi deſtinatum intellexi: collône autem, an pedibus, an ad coſtam ſuſpendendus ſim, nihil ſcio. Sed quocunque id modo in me peragatur, non curo. Hoc unum dolet, quod ſanguis meus veſtro non ſit commiſcendus, ut una fiamus victima Deo.*

3. Poſtulatus ad mortem, cum inter amplexus & oſcula amicorum (præſertim ad carceres reſervatorum, *Abrahami Angeli*, *Teyprechti*, *Hoſtauni*, &c.) conſpergeretur lacrymis, non ſolum lacrymam non emiſit, ſed eos animoſe eſt alloquutus: *Viriliter agite, fratres, à fletu temperate. Ego quidem præeo, ſed exigui temporis mora eſt, conveniemus in cæleſti gloria.* Tum leonino inceſſu, quaſi colluctaturus cum aliquo, & victoriam jam ſperans, progreſſus eſt, vernaculum canticum intonans, *En hora jam propinquat*, &c.

4. Peractis precibus, Carnifici accedenti & veniam poſcenti, primum crumenam cum nummis, mox manus ligandas præbuit, ut officium faceret, ſed chriſtianè, admonens. Cum ſcalas, trabi è Curiæ feneſtra protenſæ

appen-

appendendus, conſcenderet, magnâ voce, quaſi rugitu quodam, clamabat: *Nullam proditionem deſignavi, nullam cædem patravi, nullum facinus hâc dignum morte, admiſi: ſed quia Patriæ fidus fui & Euangelio, morior. Deus ignoſce hoſtibus, neſciunt enim quid faciant. Tu autem Chriſte IESV miſerere mei, tibi commendo animam meam.* Mox ſcalis dejectus exſpiravit.

CAP. LXXIX.

Simeon Suſicky.

KUtnauri ſocer erat, annis alioqui non multo ſuperior. Adventantes Jeſuitas ut per feneſtram vidit, ad ſocios converſus, *Ferales*, inquit, *aves advolant: ſed non paſcentur cadaveribus his, famelicæ avolabunt. Promiſit enim Deus fidelem ſuorum curam, ut oculorum pupillæ; non igitur ſeduci patietur.*

2. Poſtremâ nocte lucta ipſi cum carne fuit, quod Scriptura maledictum pronuntiet pendentem à ligno. Sed cum Verbi Miniſter (Werbenius)

maledictionem illam Christi morte sublatam, & in ipso desiisse, docuisset; acquievit.

3. Cum explosionem tormenti audisset, dixit: *Imminentis nostræ mortis hoc indicium est. Comparemus nos, ut hostibus qui nos ferre nequeunt loco cedamus. Nobis spes est, subituros nos mortem hanc viriliter: sed ipsos, nisi resipuerint, æterna exspectat.*

4. Vocatus postea, placide orans & cantans, mortem adiit, penes generum suum de trabe suspensus: illique postquam exspiravit (mirabile id visum fuit) ita se obvertens, ut os ori admoveret. Quod & ipsum hostium cavillis fuit exceptum, tam pertinaciter hos fuisse rebelles, ut ne mortui quidem conspirare cessarent.

CAP. LXXX.

Nathanael VVodniansky.

IEsuitis ad apostasiam solicitantibus dixit: *Sub rebellionis prætextu vitas nobis eripitis; nec eo contenti etiam animas quæ-*

quaritis? Saturate vero vos sanguinis nostri spectaculo, & acquiescite. Nos autem aculeos relinquemus conscientiis vestris.

2. Cum pridie ejus diei qui supplicio erat præfinitus, inter valedicendum filius (*Iohannes Wodniansky*, uxoratus, & ipse civis Pragensis) illacrymans, *Mi Pater*, diceret, *si vitæ tibi offeratur cum apostasiæ conditione, spes, quæso fidei Christo servandæ memor esto:* Ille, *Gratum quidem est*, Fili, *à te constantiæ admoneri: sed ecquid tibi in mentem venit, ut talia de me suspiceris? Ego potius Te moneo & hortor, ut paternis insistas vestigiis, fratres & sorores, liberosque tuos, ad eam cujus Vobis exemplum relinquo, constantiam cohorteris.*

3. Condemnatus fuit ad suspendium: sed nesciebat peculiare sibi patibulum in medio foro erectum. Cum igitur è pegmate abire juberetur, conversus ad Kutnaurum & Sufficium, è fenestra pendentes, dixit: *O commilitones dilecti, quam doleo à Vobis me sejungi, & ad locum magis abominabilem rapi!* Sed cum Minister Verbi diceret, *quò major ignominia pro Christo, eò futura quoque gloria major cum Christo*, resumsit

animum, patienterque crucis illam ignominiam tulit.

Cap. LXXXI.

VVenceſlaus Gisbitſky, aliàs Maſterowſky,

PLateyſiô Olomucenſi primum Canonico, poſt Epiſcopo, conſanguinitate junctus, multâ ſpe vitæ lactatus fuit: ideo reliqui huic inter valedicendum vitam gratulati, uxores & liberos commendabant. Verbi autem Miniſter, Satanæ ſtratagemata metuens, ſecuritatem cavere, & ut nihilominus ad agonem paratus eſſet, monebat. Ille in theatrum uſque progreſſus, circumſpectabat vitæ nuntium. Etiam cum adoleſcens pallium deſumpturus accederet, aurem arrexit, lætum quid ſibi credens nuntiari.

2. Ut vero nihil ſupereſſe ſpei vidit, Cantionale popoſcit, & invento quodam cantico in genua procubuit, atque voce altiſſimâ ultimos quatuor

tuor versiculos appositissimè decantavit, hoc (nec enim ponere pigebit) sensu: *Ergo coram Te confidenter prosternimur, ô æterne Pater! ne deseras nos, miserere nostri, per IESVM Christum! plus vellemus dicere, sed non valemus exprimere. In tuas manus nos commendamus, tu consummabis quod operari cæpisti in nobis: Tu reddes nobis hæreditatem nostram, ut concinamus, Sanctus, sanctus, sanctus*, &c. Seposito cantionali, surrexit, thoracem exuit, denuo procidit, & inter preces Deo se victimam obtulit.

CAP. LXXXII.

Henricus Kozel, cum aliis.

POstulati exinde sunt per ordinem Neo-Pragenses Cives, *Henricus Kozel*, *Andreas Kocaur*, *Georgius Rzetschicius*, *Michaël Wittman*, & *Simeon Wockacz*, omnes percussi gladio. Quorum ad mortem comes, quia fuit Dn. *Adamus Clemens*, Wenceslavinæ ædis

Paſtor, nec ejus conſignationis aliquid ad manus noſtras pervenit, nihil de his in ſpecie conſignare potuimus.

2. Duraverat hic Exſequutionis actus ab hora quinta matutina ad decimam. Corpora (excepto Jeſſenii) ad humandum amicis tradita: Capita duodecim à Carnificibus, cophinis duobus impoſita, turri Pontis illata, & ferreis caveis ad ſpectaculum expoſita (Ripelii ſolius Palæo-Pragenſis Curiæ parieti cum manu dextera affixum): ſuſpenſi noctu clam ſepulti.

3. Sequente die *Nicolaus Dionyſius*, Conſularis antiquæ Pragæ Notarius, quod Fridericum Pragam ingredientem plebis nomine ſalutâſſet, abeuntemque votis quibusdam proſequutus fuiſſet, Linguâ ad patibulum ſubulâ affixus, per bihorium (dum alii tres, Advocati, *Ioſephus Kubinus*, *Iohannes Swobla*, & *Wenceſlaus Bozjecius*, virgis cæſi extra portas educerentur) detentus, rurſum carceri impactus, demumque quadriennio poſt in exilium miſſus fuit.

4. Inſequuti fuerunt hanc triſtem tra-

tragœdiam piorum ejulatus : multis, quod unâ mori non dabatur, dolentibus. Hostes è contra insultabant miseris jam oppressis Euangelicis. Sed non silentio prætereundus

CAP. LXXXIII.

Martinus Fruweyn de Podoli,

CIvis Pragensis primarius, & Advocatus ad tribunalia Regni celeberrimus, cujus consiliis Ordines per multos annos multum usi fuerant. Hic mox à Praga capta domi suæ captus, à militibus, quorum tota domus erat, varie ludibrio habitus, colaphis cæsus, denique inusitato atque exquisito torturæ genere, ad interfeminia, tam immaniter ustulatus fuit, ut propè semestre doloribus acerrimis divexatus, nec vivere posset nec mori. Cum tamen cæteri captivarentur, 21 Februarii, fuit & ipse domo suâ, primum in Curiam antiquæ Urbis, inde in Arcis turrim, quam vocant albam, translatus, eôque aliorum

omnium consortio semper exclusus; Demum Junii 7 in Arcis fossa, sub illa Turri, mortuus repertus.

2. Hostes, scelerum conscientiâ in desperationem actum, deorsum se præcipitâsse clamabant: ideo per Carnificem tolli, in montem album deferri, ibidem decollari, in partes dissecari, intestina sepeliri, segmenta cætera ad quatuor Cæli plagas anteurbanas perticis appensa erigi, Caput verò patibulo fori Equarii affigi, jusserunt. Dubium tamen id multis fuit visum, quomodo se præcipitem dare potuisset, à militibus semper custoditus. Verisimilius visum fuit à subornato aliquo ejectum fuisse: quod novit Deus.

3. Nobis hoc unum ignotum non est, illum ingentibus tentationibus toto illo tempore afflictatum fuisse. Cum enim domi suæ adhuc constitutus, Verbi Minister, (*Adamus Hartmannus*, cum Medico ad illum admisso, D. *Erasmo*) visitaret, hæc ex illo audivit verba: *O mi frater, Adame, sperabam ego illis quæ acta sunt inservire me Deo & Ecclesiæ. Nunc eventum videns*

contra-

contrarium, & quanta clades attracta sit multis millenis hominibus considerans, cogito nos errore aliquid egisse, quod displicuit Deo. Plura volentem, turbavit militum interventus: & ille rogans aliâs se revisi, antequam id fieri posset, translatus est in prædictam Arcis Turrim, nemine ad illum amplius, præter uxorem aliquando, admisso. Quæ pridie mortis ejus, 6 Junii, eum revisens (quod illa post sæpe retulit) tristem valde, & à Monachis subinde se infestantibus (quod querebatur) turbatum, solatiaque petentem, reperit. Jacebat forte super mensam Cantionale Fratrum majus; ad quod ille manu extensâ, *Quære*, inquit, *animæ meæ solatia.* Illa verò cum non statim satisfacere voto posset, ipse aperuit, & ex Cantione pœnitentiali, quæ sub litera G XVIII habetur, lacrymabundus cecinit versus istos, ubi Deus animam doloribus contritam alloquens introducitur (ex Jer. 30. 1. 5.) *Quid clamas super contritione tua? insanabilis est dolor tuus: non est qui auxilietur tibi* (ex 2. Reg. 14. 26. *Ego alligabo vulnus tuum, & percussuram pla-*

gæ tuæ sanabo (ex Jer. 30. 26.) *castigationem tamen meam non auferam donec te sanavero.* Tum & apostrophen, quam habet Cantio eadem, continuavit: *Erige te anima fidelis, sensu peccati & miseriæ prostrata! Fidelis est qui promisit, qui & promissa jam ex parte implevit, misso tibi medico, Filio suo, qui sanguine suo emplastrum paravit morbo tuo. Is te ad plenum restituet, cum te resuscitaverit & glorificaverit*, &c. Quæ certe omnia luctantis cū desperatione animæ, non desperantis, indicia sunt.

4. Verum enimvero, tametsi forsan ille, majorum malorum metu, & seu evadendi spe seu moriendi animo, seipsum dejecisset; non tamen interire omnino Martyrii gloriam iis, qui (dummodo causa sit Christi) hostium furores pavescentes, ipsi mortem anticipant, Pontificiis quoque ipsis probabile reddi queat, autoritate Patrum, quibus plurimum alias tribuunt. Ambrosium videant (tertio de Virginibus) de Pelagia virgine consimile quidpiam narrantem, ac factum illud laudantem. Adeant Augustinum, hæsitantius li-

cet de pari negotio respondentem. Sed & pro mitiore sententia quod faciat, ex Eusebio haberi potest: qui Lib. VIII. cap. 12. sic scribit: *Quid opus eorum refricare memoriam, qui Antiochiæ carbonibus igneis non ad mortem, sed ad supplicii diuturnitatem* (ut & Fruweynio contigit) *sunt adusti? & aliorum qui dexteras citius in ignem inferunt, quam ut scelesta sacrificia contingerent? quorum quidam experientiam fugientes, antequam caperentur, & in manus insidiatorum venirent, è sublimibus sese domibus præcipites dederunt, mortemque præcipiendam putârunt, quam impiorum sustinendam malitiam.* Videantur ibidem plura.

CAP. LXXXIV.

Matthias Borbonius, Medicus.

INter condemnatos fuit Medicus clarissimus felicissimusque, trium Imperatorum Archiater, *Matthias Borbonius*: quem cum turbarum politicarum innocentem cognovisset Princeps

ceps Lichtensteinius, vitæ illi gratiam impetravit, sibique Archiatrum constituit. At id male ussit osores, præsertim Cæsareum Judicem, *Iohannem Chrysostomum Schrepelium*; qui prædæ spe (inhiabat enim splendidissimis Borbonii ædibus) ipsum calumniis onerârat. Hic igitur cum male dissimulatum odium celare diutius non posset, lictoribus à Principe redeuntem Borbonium in ipsa Urbis platea adoriundi, fustibusque ad domum usque suam insequendo, dedolandi, mandatum dedit. Quod facinus ut ut Principi displicere visum, inultum tamen mansit.

2. Medicus hic, quanquam Martyrii coronam non est assequutus, inter Confessores tamen jure numerandus venit. Quoties enim cum ipso, tum Princeps, tum subornati, de religione mutanda seriò egerunt, (egerunt autem sæpius) semper tamen frustra. Memorabile est ejus ad Smeczanium responsum. Nam cum mellitissimis verbis, & præ nimia humanitate etiam amplexibus, eum, ut Romano-Catholicus fieret, orans, subjungeret:

geret: *Ah mi Borboni, quam egregie tu rem Catholicam, & multorum salutem, promovere posses, tuo exemplo!* Ille regessit, *Imo nihil certius, quam multum damni per me datum iri Ecclesiæ Vestræ, si ego accessero.* Quærenti causam, respondit: *Credat Illustritas Vestra, conscientiam mihi tam esse teneram, ut vim sibi inferri passura nullo modo sit. Si igitur ipsâ reclamante descivero, nihil ab ipsa exspectare aliud potero, præter morsus, lancinationesque & tormenta, quæ me in desperationem præcipitabunt: Ego vero cum ejulatu & horrore decedens, quid nisi spectaculum aliis præcipitia cavendi fiam?* Ita immobilem cum videret, odio habuit, & cum aliis post (Anno 1623) Regno proscripsit.

3. Commigravit igitur Borbonius in Poloniam, & à Rege etiam ipso ad consilia medica fuit adhibitus: tandemque Thorunii Borussorum (prope septuagenarius senex) è vivis excessit, Anno 1629, 16 Decembris.

CAP.

CAP. LXXXV.

Proceres Moraviæ captivati.

PAulo ante Exſequutionem Pragenſem, (nempe 4 Junii) Euangelici Moraviæ Proceres, qui Bohemorum cauſam præ aliis promoviſſe putabantur, Cæſaris mandato convocati, ad carceres rapiuntur, alii Brunæ, alii Olomucii: plectendi proculdubio & ipſi, niſi tam ſolenniter Cæſar impunitatem, cum à Pragenſi pugna ultro ſeſe dederent, promiſiſſet: & Carnovienſis Dux cum Bethlemo (eo ipſo anno in Hungaria victores) permutatione quorundam Canonicorum, libertatem quibuſdam eorum redemiſſent: aliis ad triennium & ultra carceribus detentis, nec niſi variorum interceſſionibus, libertatem conſequutis. Sed bona eorum æque ut illorum qui effugio ſalutem quæſivere, Cæſareo fiſco, & dehinc Pontificiorum Procerum, Jeſuitarumque uſibus & abuſibus, ceſſerunt. Hoc erat diſcriminis: quod ii qui è cuſtodia dimitte-

mittebantur, famæ honorique restituti dicebantur; fugâ vero elapsi pro infamibus haberi, ut quorum nomina patibulis essent affixa, jubebantur.

CAP. LXXXVI.

VVenceslaus de Bitow, Eques.

EOrum de numero fuit *Wenceslaus Bitowsky de Bitow* (Bistricii & Prusenowicii Dominus, unus è Directoribus Moraviæ, interregni tempore: & quem postea Fridericus Equestris Ordinis Antesignanum designaverat) cum Anno 1627 mense Augusto in Brandeburgica Marchia captus, & in Moraviam remissus esset, Cardinalis Ditrichsteinii (qui capitali in ipsum semper flagrârat odio) jussu torturæ subjectus, deque aliis atq; aliis quæstione habitâ prolixe sed frustrâ examinatus, tandem ad gladii supplicium condemnatus est, illudque theatro ad Curiam Brunensem exstructo fortiter subiit.

2. Si cuiquam adeundi eum, vel ad

ad mortem comitandi, data fuiſſet copia, haberemus indubie quod in exemplum ire poſſet. Vir enim ſtrenuus fuit, ad vehementiam uſque animoſus: & quamvis olim (ut in talibus naturis fieri aſſolet) non careret exceſſibus, in exilio tamen ita ſe totum Scripturæ lectioni, ac meditationi, vitæque caſtigatæ dederat, ut nihil niſi pietas, modeſtia, gloriæ Dei & ſalutis propriæ ardor, in ipſo notari potuerit. Sed quia nemo ad ipſum toto carceris tempore (excepto puero quodam bardo, ſtudio tali, ad ſervitia illi relicto) admittebatur: & productum ſupplicio tympanorum ac tubarum ſtrepitu obtuderunt, nihil à quoquam ſermonum ejus notari potuit. E literis tamen ad Conjugem valedictoriis, éque prodeuntis & mortem ſubeuntis geſtibus, martyre digna fidei conſtantia ſpeique robur ſatis emicuit.

CAP.

CAP. LXXXVII.

Bonis exuti Proceres Euangelici.

SEptimâ poſt Exſequutionem Pragenſem die (28 Junii) publicatio bonorum inſtituta eſt, tam affectorum ſupplicio, quam proſcriptorum; cæteris Ordinibus inter ſacrum & ſaxum hærentibus. Sequente demum anno publicatum eſt Diploma quo univerſis Regni incolis generalis fiebat delictorum gratia. Summa ejus hæc erat: *Omnes quidem abominabilis illius & horrendæ Rebellionis ac propterea Majeſtatis eſſe reos, & omnes perinde ac illos qui jam ſuppliciis affecti ſunt, jacturam feciſſe, Privilegiorum, Famæ, Vitæ & Bonorum; Cæſarem tamen de innata Auſtriacæ domûs benignitate, Vitæ & honoris eis facere gratiam, Bona ſolùm publicare, Regioque fiſco addicere. Sed ne hîc quoque ulli ſit querelæ locus, connivere Cæſaream Majeſtatem nihilominus, ut niſi qui enormiter peccârunt, bona ſua retineant: de iis ſaltem partem quiſque aliquam in ſubſidium diſſolvendi in hoc tam neceſ-*

necessarium bellum contracti æris alieni, Cæs. Majestati resignent. Mandari igitur, ut intra spatium sex hebdomadarum quisque Pragæ coram Regni Gubernatore (Lichtensteinio) *præsens compareat, admissi criminis (qua in parte contra Cæs. Mtem peccâsset) confessionem scripto exhibeat, culpamque deprecetur. Quicunque non comparuerit, eum ab omni gratia exclusum iri: si reticuerit quidpiam, cujus convinci possit, perditurum totam causam; sin ingenue fuerit fassus, auditurum sententiam. Datæ literæ hæ Oenisponti,* 3. Febr. Anno 1622.

2. Præscripta vero fuit Confessionis formula, quâ omnes prorsus rebellionis culpam fateri & deprecari jubebantur. quod fraudulenter fuisse actum, post patuit. Cum enim Germaniæ Principes Cæsarem, ne ob paucorum delictum omnes indiscriminatim puniret, admonerent, id responsi datum; *Non puniri nisi qui propriâ Confessione convicti sint.*

3. Aliis mox patentibus per omnes Districtus dimissis literis inhibitum fuit, ne quisquam bona sua, vel quidquam de iis divendendo, aliove ullo præ-

prętextu transferendo, imminueret vel attenuaret, ſed ita uti poſſidet poſſideat. In ſecus facientes conſtituta eſt pœna; ut *quod quis aliò miſerit id amittat: qui alieni quidquam receperit, tantundem de ſuo Cæſari pendat.*

4. Citabantur exinde, alii poſt alios, ad ſubeundam finalem ſententiam: etiam mortui aliquot (ut Dn. *Nicolaus Bukowsky de Huſteczan*, jam ante bienniũ ſepultus, &c.) & per multos annos decumbentes, quin & oculis capti, qui peccare nihil poterant: quorum modo nomina in tabulis Regni reperiebantur, & locupletes eſſe ſciebantur; qualiter & Dn. *Petro Skopek ab Otradowitz*, Belehradi; & Dn. *Iohanni Charvato*, Bieloſſicii, Dominis contigit: quibus in citatione crimini dabatur, quod expeditioni Ordinum Wiennam verſus interfuiſſent, Cæſarisq; feneſtras glandibus ſclopetariis petiiſſent: quorum tamen hic ante decennium oculorum uſum amiſerat: ille per annos octo paralyticus lectulo ſe movere nequibat: ut appareret non peccata, ſed bona Euangelicorum, ad mulctam trahi. Id vero inde etiam patuit, quod in

N homi-

homines censu tenuiore minus acriter inquisitum fuerit: imo (rem veram narro) lepidis illis Judicibus scelus in jocum vertentibus, non infrequens in ore fuit, cum quis sufficienter se de admissa nullâ parte culpâ purgaret: etiamsi actualia desint peccata, infectum tamen esse peccato Originali Hæresi & Opibus: pœnâ proinde non posse eximi. (Ex ore Cardinalis Dietrichsteinii sæpius id auditum.) Id quod piis alicui solatio fuit, eos pati non ut maleficos, sed ut Christianos.

5. Ad comparendum vero citatis nonnisi octo dies dabantur; cum aliâs in negotio aliquot nummorum amplior concedi soleat terminus. Comparentibus, prælegebantur articuli culpæ admissæ, non juxta editam Confessionem solum, sed quicquid per calumniam confingi in quenquam potuit. Nec ad respondendum dabatur, aut permittebatur, tempus: quin si quis etiam offerret, vel obtulisset, sui purgationem, ejus loco sententiam definitivam audire jussus est. Cujus formula fuit: *Incurrisse quidem pœnam capitis, honorum & bonorum, per gratiam*

gratiam tamen Cæsareæ Majestatis vitam & honorem ei donari, bona solum Cæsari deberi, sive ex asse, sive partem dimidiam, tertiam, quartam, &c.

6. Ita clementiæ speciem habebat, non omnes omnibus privari bonis: sed Exsequutionis processus meram ostendit crudelitatem. Adimebant enim omnibus possessoribus Arces, Oppida, Pagos, Villas, pro parte illis relictâ obtrudentes chartam: quâ illi suæ portionis solutionem à Camera exspectare jussi sunt. Sed cujus solutionis vel primum teruncium unus nemo vidit hactenus. Ita per Juris processum tyrannico prorsus more omnes Euangelici suis bonis exuti, & in tristem inquilinatum acti sunt: alii quidem per Urbes, conductis hospitiis, alii ad amicos & cognatos Pontificiæ Religionis, receptum habuerunt, alii invasoribus suorum vel aliorum bonorum operam in administranda re familiari addicebant: paucissimi per Commissariorũ favorem, aut per munera, novamve redemptionem sua vel uxorum bona ad tempus retinuerunt. Auxit crudelitatem, quod

non immobilia ſolum bona invadebantur, ſed & mobilia rapiebantur, vix unâ veſte quâ quis indutus erat, illi relictâ. Exempli loco nominari poteſt (non ſoli tamen id contigit, pluribus aliis) *Burjan Slibowsky*, qui eo ipſo tempore quo Commiſſarii bona confiſcaturi domum ſuam ingreſſi erant, peregre rediens, deſcendere juſſus eſt, currum etiam cum equis & impoſitis ciſtis, Cæſaris eſſe.

7. Et quia nonnullis pecuniam creditam ſive uſurariam, ſupereſſe ſentiebant, ut hanc quoque emungerent, juſſerunt quemlibet ſyngraphas quotquot haberet (ſub totius ſummæ amittendæ pœna, ſi quis vel minimum occultaſſet) exhibere. In Moravia huic rei peculiare conſtitutum eſt judicium, *Grida* dictum, Niclaſbergi; ubi comparere omnes, & ſyngraphas offerre, neceſſe habebant: quæ reddebantur quibusdam integræ minoris ſcilicet valoris, ob juſtitiæ ſpeciem; aliæ fictas ob cauſas ſupprimebantur; de aliis pars deputabatur Cæſari. Si cui certa pecuniæ vis ad Regni Tabulas, more ſolito, deponebatur

Fiſc

Fiscalis Regius præsto erat (proditorum enim & proditionum plena erant omnia) qui Cæsarem ad belli sumptus ea opus habere protestatus, auferebat; Creditori cautionem scriptā exhibens, à Cæsare ipsi summam hanc deberi.

8. Ita veteribus migrare jussis colonis, Pontificiæ Religionis homines inter se publicata partiebantur bona, prout cuique hunc vel illum Pagum, Oppidum, Arcem, vel integrum Dominium, suis adjicere limitibus commodum fuit, & à Cæsare vel dono vel aliis rationibus obtinere potuit. Pars multo maxima cessit alienigenis, *Hispanis, Italis, Germanis*, militiæ scilicet Cæsareæ præfectis, stipendii loco.

6. Si supererant viduarum vel pupillorum non erepta per juris speciem bona, vix usquam deerant Achabi, Nabotis ambientes vineam. Nam cuicunque videbatur finitimum, is vel fraude circumveniebat, vel de favore promissionibus alliciebat, vel denique minis aut imposito milite adigebat, ad vendendum. Ubi tamen ipsi fere ementes, & indicantium, & licitantium atque contrahentium, obi-

bant partes: tantum nempe, quantum libuit, pretii obtrudentes, & postmodum ne id quidem exsolventes.

10. Jussit & Privilegia Regni, ab antiquis data Regibus, ad se Viennam afferri Cæsar. Quæ cum accepisset, *Istane sunt chartæ*, inquiebat, *quæ tantum negotii facessebant majoribus nostris?* Inspectansque singulas membranas, sigilla, subscriptiones, discindebat, & conjiciebat in focum: adstante, horresente, & tacite suspirante qui attulerat illa, *Adamo de Waldstein* Burggravio Pragensi, supremo scilicet Regni Officiario.

CAP. LXXXVIII.

Religionis Exercitiis & Foro Euangelicis interdictum: etiam qui nihil in Cæsarem peccaverant.

PRoscribuntur interim, ut suo loco dictum, & exturbantur toto Regno Ministri Verbi: gravi adjunctâ interminatione, si quisquam ullo prætextu quenquam receptet. Quod cum ad se non pertinere autumarent, qui

nullâ

nullâ parte Cæſari fidem violârant, aut quibus jam Cæſar ignoverat, repetitis mandatis eoſdem dimittere jubentur. Neque mandatis iſtis plerique omnes morem non geſſerunt.

2. Solus *Carolus de Zerotina* (ut ante meminimus) huic truculentiæ opponere ſe auſus, non ſolum Cardinali de Dietrichſtein (Moraviæ Gubernatori(ejuſq; Commiſſariis reſtitit, ſed & (cum hîc nihil proficeret) Wiennam profectus, apud Cæſarem de Cardinalis injuriis, quod ad ſe immerentem eam quæ perjurorum (ut dici volebant) tergis infligebatur, pœnam extenderet, conqueſtus, ſalva ſibi ſua jura popoſcit. Sed reſponſum à Cæſareis, proceſſum hunc excuſantibus, Conſiliariis: *Male ita Reformationis hoc negotium intelligi, quaſi pœnæ irrogandæ cauſâ inſtituatur, quum potius pars ſit paternæ curæ, quam Cæſar pro ſalute regnorum & provinciarum ſuarum gerat: Cæſaremque, quamvis nulla intervenisſet culpa, tamen teneri, ut ſuorum tam æternæ ſaluti, quam externæ tranquillitati, conſulat.* Exhorruit ad hæc Baro, tam aperte tenebris olim preſſas machina-

tiones nunc prodi, conſcientiarumque tyrannidem pietatis ſpecie palliari videns. Pergit tamen apud ipſum Cæſarem expoſtulare. Reſpondet Cæſar: *Nihil aliud ſibi licere, per conſcientiam.* Baro, ſe conſcientia æque obligari Deo; rogare proinde ne gravatam eam cupiat Cæſar. *Non gravare ſe eam dicit Cæſar, ſed Prædicantes ferri non poſſe.* Rurſum Baro: Sacro Dei cultu carere ſe non poſſe, neque hunc abſque Miniſtro Verbi peragi. Atque cum hac proteſtatione à Cæſare diſcedit: non ſolum Aulæ ſuæ Eccleſiaſten, *Paulum Hronovium*, palàm, retinens; ſed & piiſſimum ſenem ſeptuagenario grandiorem, *Iohannem Lanetium*, & *Georgium Eraſtum*, Fratrum per Moraviam Antiſtites, alioſque plures, clam, in ſpecubus ſuis pane & aqua pius Abdias ſuſtentans: ad ſacra vero ſua (in Arce ſua Nameſch ab Hronovio adminiſtrata) non ſubditis ſolum, ſed & aliis è vicinia, cujuſcunque ordinis, facultatem veniendi, hominum poſthabito metu, non dubitans. Qua in re in Bohemia Baronem de Slaupna, *Georgium Sadovium*, alioſque paucos,

paucos, pios imitatores habuit: donec & ipsimet (quod mox narrabitur) in exilium ire jussi sunt.

3. Interea verò, cum impii Euripi instar sint, nec acquiescere possint, sed redundent in conculcationem & lutum, ut Propheta loquitur, factum est ut novum etiam excogitârint furorem, *Iuventutis informatores peculiari iterum Diplomate proscribendo*: ut quicunque Baronum, Nobilium, Civium, liberis suis non catholicum aleret Præceptorem, illico dimitteret, comprehendendum alioquin, & ad pœnam trahendum.

4. Atque ut serio rem agi, nec Cæsarem nisi Romano-Catholicos ferre posse, intelligerent omnes, publicatum est (1625 Anno, 22 Junii) decretum, quo *Tabularum Regni usu prohibiti sunt in æternum Non-Catholici.*

5. Animadvertentes igitur non servire sibi jura boni Euangelici, nec superesse quo injuriis proritati appellare possent, præter Cælum: hoc unum egerunt, (qui nempe mysterii hujus iniquitatis capaces erant) ut suspiriis & gemitibus tantæ perversitatis ulto-

rem, ſollicitarent, DEUM. Alias ſpei nihil fuit reliquum.

Cap. LXXXIX.

Euangelica Nobilitas toto Regno proſcripta.

VIctoriarum ſucceſſibus elatiores in dies facti hoſtes, inſperatam rem aggreſſi ſunt, ut omnes Euangelici Ordines (quibus ex parte Regnum conſtabat) ſimul & ſemel Regno proſcriberentur. Sperabant enim ſubjugatis circumcirca Germaniæ Provinciis, & Daniæ Rege, cum Mansfeldio & Winarienſi, cæteriſque, devictis, atque per id plurimorum languefactis animis, futurum ut hoc demum perculſi fulmine Religionem defererent plerique: quemadmodum & evenit.

4. Anno igitur 1627, Julii 31 die (Ignatio ſcilicet Lojolæ ſacrâ, ne character deeſſet, à Lojolitis fabricatoribus rem cuſam) Cæſaris ſolenne Mandatum

datum prodiit, quo ille tot calamitatum florentissimi olim Bohemiæ Regni unicam causam asseverans esse hæreses, quibus incolarum animi tam inter se, quam à Magistratu suo diffideant, variæque attrahantur Dei pœnæ, voluntatem suam sic declarat: *Nos igitur conscientiâ urgente neminem de inferioribus, multo minus de superioribus Ordinibus, inter omnes hæreditarii nostri Bohemiæ Regni subditos, utriuslibet sexus, hæreticis infectum erroribus, amplius tolerare possumus aut volumus. Ideoque iisdem superioribus Ordinibus terminum unius Semestris ad perdiscendam Sacrosanctam & solam salvificam Catholico-Romanam fidem, concedimus. Et ut ne desint, à quibus salutarem institutionem informationemque sufficienter haurire possint, pio consilio Reformationis Commissarios tam è Politicis quam Ecclesiasticis Viris, instituimus. Placuit igitur publico hoc Diplomate, tum de Paterna nostra pro Regni hujus salute cura, universos reddere certiores, tum admonere, ut omnes & singuli temporariæ & æternæ sua salutis habitâ ratione, à prædictis Reformationis Commissariis se diligenter institui, eâque re*

nostræ se attemperare voluntati, ne intermittant. Quam voluntatem nostram nisi quis intra hoc sex mensium spatium fuerit amplexus, nobiscumque in eadem fide consenserit, illi neque in Regno nostro manendi, multo minus bona possidendi, ulla supererit facultas. Volumus enim ut Omnes præfracte contumaces, bonis suis inter Catholicos divenditis, ad termini decursum Regno Bohemiæ excedant, neque unquam (nisi Catholici facti) reditum sibi polliceantur, &c.

3. Hic videre erat miras animorum alterationes, consiliaque diversimode capta. Quibus pietas & constantia cordi fuit, mox exilio separabant; alii angi, vacillare, subterfugia & latebras quærere, Cæsarem per oblatos supplices libellos, vel de decreti immutatione, vel gratia longioris termini, sollicitare: verbo, quod quisque poterat moliri. Non deerant, qui exilii incommoda, egestatem, ætatem, morbos, officia, & quidvis prætendendo, Cæsareæ voluntati satisfaciendum arbitrabantur. Inventi, qui Cæsari & Papæ illudi posse existimantes, à sacrificulis auro testimonia falsa redimebant,

mebant, præſtitiſſe confeſſionem, & ſub Una communicaſſe. Factumque eſt, ut aliqui redemptis illis ſchedulis Reformationis Commiſſariis ſimulatæ apoſtaſiæ fucum facerent, exiliumque evitarent.

4. (Sed & quibusdam talis animarum negotiatio non bene ceſſit. Nam *Laurentius Nizbursky*, ad Divi Alberti Neo-Pragæ Paſtor, qui nimis libere impoſturam illam exercebat, proque iſtiuſmodi ſchedulis à Civibus, Nobilibus & Baronibus ingentem pecuniæ vim collegerat, re tandem proditâ, comprehenſus eſt, & cum illo centum & aliquot cives Pragenſes: qui omnes criminis læſæ Majeſtatis, divinæ & Cæſareæ, accuſati, ad mortem condemnabantur. Laici tamen pecuniariâ mulctâ, & verâ apoſtaſiâ, vitas redemerunt: ſacrificus falſarius degradatus, & in Palæo-Pragenſi foro ſupplicio capitis affectus eſt: Anno 1631, 7. Aprilis. Sed redeundum nobis eſt ad pavores primâ illâ proſcriptionis publicatione excitatos.)

5. Hoſtes igitur tantâ animorum fluctua-

fluctuatione animadversâ, & temporis tractu plures, vel ad desperationum scopulos allidi, vel in dubitationum vada præcipitari posse, spe conceptâ, obtinent apud Cæsarem, ut decurrenti termino semestre alterum adjiciatur. Promulgatur itaque novum Decretum (6. Decemb. ejusdem 1627 anni) quo longior quidem intra Patriæ fines commorandi conceditur mora, acrius tamen quam antehâc, omnes ad amplectenda Romana sacra, quâ promissis quâ minis, adiguntur. Præterea, ad Viduas eadem proscriptio extenditur: Pupilli vero, sive matres habeant in vivis, sive non, omnino excipiuntur, Catholicorum curæ & institutioni tradi, vel etiam Monasteriis includi, jubentur. Atque hoc demum multis piis gemituum & lacrymarum causa fuit, cum pueri & puellæ nobiles (etiam nubiles virgines) è matrum, amitarum, materterarum, patruorum vel avunculorum gremio avulsi, in Jesuitarum Collegia Monachorumve claustra contruderentur; Bona vero illorum Pontificiis administranda, è manu legi-

legitimorum tutorum eriperentur.

6. Non reticendæ verò blandæ seductorum vafrities, quibus incautis imponebant, quibusque plus fortasse quam rigore & terroribus istis damni datum est. Quoties Reformatoribus illis aliquis egregie Religionis fundamenta callens, examinandus obveniebat, concedebant illi, credendaque permittebant pleraque, etiam articulum de Fidei Justificatione: unum hoc requiri dictitantes, ut obedientia præstetur Ecclesiæ, Episcopusque Romanus agnoscatur Ecclesiæ visibilis caput; quandoquidem id vel ordinis boni causâ necessarium esset. Ita simpliciores ad aliam quam didicissent fidem se non adigi rati, putabant salvâ conscientiâ externam illam obedientiam promitti posse. Si quem videbant illustriore stirpe prognatum, aut stirpis suæ solum, vel cum paucis, superstitem, aut aliquomodo delicatum, &c. exaggerabant, quam Cæsareæ Mti. doleat, quod antiquissimæ familiæ, quæ antehac ornamenta fuerint & fulcra Patriæ, nunc adeo per meram incogi-

tantiam

tantiam in exilii periculū ſeſe præcipitēt, quos præſtaret manere, & ſub Dei ac Cæſaris gratia florere. His & ſimilibus Satanæ ſtratagematibus ingens Euangelicæ Nobilitatis ſtrages edita eſt: omnibus nempe quibus terrena Patria potior cæleſti fuit; aut quibus Conſcientiæ torporem artibus illis ſuis induxerant, in apoſtaſiam vel hypocriſin prolapſis.

7. Egreſſi nihilominus ſunt quibus cæleſtia præ terrenis cordi erant (& quos terrebat cæleſtis Imperatoris mandatum, *Exite de Babylon popule mi*) hæreditariis ſuis relictis ſedibus, poſſeſſionibusque cunctis, aliquot centenæ familiæ, utriuſque ſexus. Qui per vicinas provincias, Voitlandiam, Miſniam, Luſatiam Sileſiam, Poloniam, Hungariam diſperſi; nonnulli in Pruſſiam uſque, Ruſſiam, Tranſylvaniam, exilii anguſtias toleraturi facilius, commigrarunt. Inter hos fuit pius ſenex *Carolus de Zerotin*: qui cum ſoli ſibi ad dies vitæ intra Patriæ fines manendi facile impetrare poſſet copiam, ſi ſacro Dei cultu vel carere, aut diſſimulanter

uti,

uti, voluisset: maluit tamen & ipse affligi cum populo Dei, quam temporariis frui commodis. Divenditis igitur ditionibus suis (sed pretio dimidiato, & cujus ei rursum partem per litis cujusdam & Judicii speciem, aliasque artes, extorserunt) Wratislaviã Slesiæ, Cæsare conscio & annuente, secessit: sed annexâ paulo post literis Cæsareis declaratione, si Baroni Urbe illâ excedendum foret, liciturum ei quôcunque vellet ire, modo non in Cęsaris provincias regredi, aut ad Cæsaris hostes progredi.

8. Hostes interim, omnes eos qui Patriâ excesserant *Exulum nomine dedignati*, *Emigrantes*, sive per illusionem sive ad pervicaciam exprobrandam (quasi non à Cæsare ejecti, sed merâ obstinatione excæcati Patriâ excessissent) appellitabant. Sed cum hos ne in exilio quidem tolerare possent, prodiit (Anno 1628, 18 Augusti) Diploma, quô Cæsar quorundam è Bohemia & Moravia in Silesiam solummodo & Lusatiam secedentium, perversitatem accusans, *nunquam sibi mentem fuisse è Bohemia sola pervicaces submovendi*,

movendi, in accorporatis vero provinciis eosdem tolerandi, protestatur. Excedere itaque jubet, ad pœnam alioquin rapiendos. Item, *eodem edicto qui pupillos secum abduxerant remittere jussi sunt, sub pœna omnium, quæ quis in Patria poscenda haberet, bonorum.*

9. Mox vulgatum & aliud Mandatum, *quo non-Catholicæ Catholicorum uxores exilio quoque mulctandæ, nisi resipuissent, declarabantur.* Sed cum nulla (non enim exstat exemplum) exterreri se passa fuit, & primores quidam adeoq; summi Regni officiarii, Euangelicas haberent conjuges, nec divortia possent ferre, impetrata est illis manendi gratia. *Prodiitque* (1. Maji, Anno 1629) *Edictum, quo illæ tolerari quidem ad maritorum mortem, sed post hæreditate excludi, & in exilium mitti; interea verò à nuptialibus aliisque convivialibus solemnitatibus abesse, aut certe infimum, post Catholicas, occupare locum* (ad incutiendum scilicet terrorem) *jussæ sunt.*

10. Addiderat vero primo illi mandato (1627, 31 Julii) expresse hanc clausulam Cæsar: *Nequis autem putet,*

putet, pecuniæ causâ, vel privandi cujusquam bonis suis gratia isthæc fieri, non vero propter unius Dei gloriam, animarumque subditorum nostrorum salutem; declaramus etiam hâc in parte clementiam nostram, ut si quis huic nostræ gratiosæ voluntati (quod non speramus) refragari velit, ei secure, & absque ulla facultatum suarum imminutione, cum omnibus suis emigrare liceat. Promittimus perinde, si quis intra prædictum sex mensium terminum bona sua divendere, aut debita exigere (in quibus tamen exigendis omnia tribunalia illis auxilio esse volumus) non possit, ut quemcunque de cognatis suis, aliumve Virum Catholicum, sibi queat deligere, quem plenâ instructum potestate divendendis illis bonis, vel exigendis debitis, præficiat, &c. quod Justitiæ cum Clementia conjunctæ adeo præ se speciem ferebat, ut non solum Exules rigoris illam temperaturam gratè acceptarent, sed & exteris fucus fieret, quasi nihil intolerabile Bohemis emigratione illâ contigisset. At verba erant.

11. Primum enim, quid venderent, quibus jam ante mulctæ nomine ademta erant omnia? Tum, si qui reti-

retinuerāt fundorum aliquid, cui venderent in ista belli flagrantis intemperie, universalique pene emigratione? Nam, & qui manebant, ad pauperiem extremam redacti erant; & Pontificii, quamvis nummosi, non tamen hoc egerunt, ut exulaturos viatico instruerent, sed ut desperatione ad apostasiam adigerent. Præterea, si qui se offerebant emptores, vix medio pretio (aliâs deserendum gratis) redimere quærebant. Denique vix erat, qui paratam offerret pecuniam, sed chartas (syngraphas) quibus apud exteros famem evitari posse nemo sperabat. Plerique igitur, quibus villę, prędia, vineę, aliivé fundi supererant, hanc inibant rationem, ut alicujus amici (quales quidem haberi poterant) fidei sua committerent, qui velut rem emptam sibi inscribi curaret, de proventu tamen quotannis vero possessori aliquid submitteret. Verum enimvero ut quercu cadente quilibet ligna colligit, & in tanta adversus condemnatos atque proscriptos quidvis committendi licentia, facilis ad proterviam lapsus est, plerique

que mandatarios istos perfidos atque fraudulentos experti sunt.

12. Quidam igitur clam regressi, varie sibi sua negotia componere sategerunt: sed id simul ac innotuit, mandata ad Capitaneos Districtuum data sunt, ut *quoscunq; de Non-Catholicis (sive nondum egressis, sive iterum regressis) ubicunque commorantes, frumenta colligentes, & Regno exportantes, aut divendentes, & pecunias colligentes, deprehendere possent, comprehendi, & in Vrbes Districtuales arresto constringendos transmitti curarent, consignato cujusque nomine, prænomine, familiâ. Eos autem qui tales fovisset, fidei & honoris vinculo adstrictos, in Arce Pragensi coram summis Regni Officiariis comparere juberent*, &c. Dabantur Pragæ 11. Septembr. Anno 1628. Repetita fuerunt eadem mandata, ad diversos Districtus 2. Novemb. & sequenti anno (1629) aliquoties. Tandem 20. Julii; Anno 1630: ubi instructio dabatur, *ut cognito ubi laterent aliqui, clam & inopinato invaderentur, ac abducerentur captivi: additâ causâ, quod pertinaciter Divinæ & Cæsareæ voluntati obluctarentur.*

13. Hoc autem indulgebatur, si quis expediendum haberet aliquid in Regno, ut regrediendi facultatem à Commissariis Reformationis peteret: sed qualis illa, & quibus limitata conditionibus facultas fuerit, patebit ex formula, quæ talis fuit. *Illustrissimus, Illustres & Generosi, à Cæsarea M^te Domino Domino omnium nostrûm clementissimo, ad Reformationis negotium in Bohemiæ Regno ordinati Dn. Dn. Commissarii. Intellexerunt ex literis N. N. quô fine ille in Regnum hoc ad tempus redeundi potestatem sibi fieri petat. Quum igitur bonam de se præbeat* (ad alios vero sic: *Cum ergo bonam de illo Dn. Dn. Commissarii concipiant*) *spem, petitioni ejus locum relinquentes hoc eum Salvo conductu impertiunt, permittuntque ut huc libere & secure accedat, & tuto negotia sua, à nemine Religionis nomine sex hebdomadarum spatio molestandus, expediat. Hâc tamen expressâ cum conditione, ut mox ad ingressum in Regnum, coram Illustrissimis Dominis Commissariis compareat, negotia quæ tractaturus est, exponat, intraque tempus illud institutionem à Viris Spiritualibus, piis, doctis, admittat;*

tat; quô sub termini decursum per contritam peccatorum Confessionem & Sacramenti sub Vna specie communicationem membrum Catholicæ Ecclesiæ factus, in Regni quoque membrum recipi possit. Secus facienti nulla diuturnior manendi mora concedi poterit. Hæc enim immutabilis est Cæs. Maj^tis voluntas. Dabantur ex Commissione reformationis Pragæ N.N.N.&c. Quâ blanditie (scilicet) absterriti plerique in Patriam regredi, & se tam periculosis committere laqueis non cupiebant, vindici Deo suam & Ecclesiæ causam suspiriis commendantes.

14. Cæsar interim, ut in flore conservaret Regnum suum, aut etiam ejus ampliaret splendorem, egressorum lacunas spiritualibus explevit personis: quibus ad Ordinum dignitatem evectis primum assignavit locum, adeoque Baronibus, Comitibus & Principibus, præire ac præsidere, jussit: quæ res cum usque in diem inaudita fuit in Bohemia.

15. Abrogavit item antiqua Regni statuta, & condidit nova (quæ & typis

typis descripta sunt) declarans omnia se confirmare Regni privilegia, exceptis; *de Religione: de libera Regis Electione; de solius linguæ Bohemicæ in Iudiciis publicis usu* (ut nimirum paulatim linguam cum Gente exstingueret); *de Bonis intestabilium caduco jure ad Rempublicam devolvendis; de Bonis terrestribus per conjugia à stirpe mascula non alienandis.* Nimirum ut per matrimonia puellarum Bohemarum cum hominibus exteris, vel novis, antiquæ familiæ possessionibus detruderentur, aut etiam exstirparentur facilius; quod effectu ipso declaratum est, cum nonnullæ lautâ hæreditate, volentes nolentes aliis obtrusæ sint: quasi de industria id fuisset quæsitum, ut oppressis undique Regni libertatibus, imperium non in homines, sed in pecora constitueretur.

CAP.

CAP. XC.

Processus adversus Civitates liberas.

SEquitur quã illiberaliter tractârint Civitates liberas. Ante omnia, quia perdomanda visa fuit Gens hæretica, capistri loco injecerunt Urbibus Capitaneos, & Judices Cæsareos, sine quibus nemo se movere posset: illos ex Equestri ordine, hos ex Civico. Sed quales homines? quales nimirum in tanta Romanensium indigenarum adhucdum paucitate habere poterant: Bannitos Italos vel Germanos; aut Bohemos apostatas, Lurcones qui sua decoxerant, Homicidas infames, Spurios, Mangones, Fidicines, Comœdos, Ciniflones, quosdam etiam alphabeti ignaros homines, sine re, sine lare, sine conscientia (omnia hæc particularissimis exemplis demonstrare habemus): dummodò ad quidvis audendum projecti, Antichristo (sub Cæsaris nomine) in machinanda aliis per-

fidia, fidem obſtrinxiſſent ſuam: indignos quorum nomina huc referantur.

2. His talibus rerum ſumma in Urbibus committebatur, ab horum nutu Urbium Senatus dependere juſſi. Nec quidquam in contrarium poterant publicæ, de ataxia & rerum confuſione, querelæ: niſi quod ipſimet poſtmodum hanc tolerare non valentes (Anno 1624) Capitaneos removerint: Judicibus ſolis, ſed milite præſidiario adjutis, ſuperattendendi (ne quid res Cæſarea pateretur detrimenti) partibus permiſſis.

3. Proxima inde cura fuit, Civitatibus ſuccum & ſanguinem exſugendi: quod per aliquot annos continuatas, & militum ope extortas contributiones inauditas, effectum eſt egregiè.

4. Tum amotis Eccleſiarum Miniſtris, & Sacrificulis (plerunque armatâ vi) ſubintroductis, cogi cæperunt homines ad Miſſam frequentandam. Interdictum etiam conjugiis, niſi inter perſonas Catholicas: quô Satanæ artificio ubique locorum non pauci carnaliter affecti ad apoſtaſiam illecti, & mox ad Senatoriam dignitatem pro-

provecti sunt; etiam homines nullius cerebri aut experientiæ.

5. Adaucto ita Apostatarum numero, & Senatu Catholico jam, in reliquos Cives aliis atque aliis modis desæviri cæptum est: quod particulariter, quomodo hîc aut illîc processum sit, describere non pigebit. Sed prius generalem Capitaneis Districtuum Anno 1624 datam Instructionem ponemus.

CAP. XCI.

Articuli ex Instructione Capitaneis Districtuum Anno 1624, in Iulio data, excerpti.

1. *QVicunque cum Cæs. Majte in Religione consentire abnuunt, iis omnibus omni negotiatione & opificiis interdicatur.*

2. *Quicunque domi suæ clandestinam Prædicationem, Baptismum vel Copulationem permiserit, centum taleris luat,*

aut, si id nequeat, carcerem sex mensium ferat. Qui vero Prædicatorem domi suæ fovere deprehensus fuerit, bonorum & capitis damnâs esto.

3. *Pastor loci ordinarius Catholicus, neminem Non-Catholicum mortuum ad sepulturam cum ceremoniis comitetur: sepulturæ tamen pretium eidem persolvatur.*

4. *Diebus Catholicis festis, si quis operas serviles exercuerit, incarceretur; nec dimittatur, nisi exsolutis 10 florenis.*

5. *Si quis Missæ tempore in Caupona fuerit deprehensus, decem florenos pendat: Caupo ipse duplum.*

6. *Quicunque Sacerdotem Catholicum, ejusve concionem, verba, gestus, eoque modo Catholica sacra irriserit, proscribatur, bona verò ejus confiscentur.*

7. *Si quis absque Archiepiscopi indultu diebus vetitis carne vescatur, decem florenos dependat.*

8. *Quoties aliquis Paterfamiliâs diebus Dominicis & festis Missæ non interfuerit, toties pendat quatuor libras Ceræ, opulentior; tenuiore censu, duas.*

9. *Iuventus per omnes Vrbes, Oppida, Vicos, consignetur, qui filios in scholis Non-Catholicis habent, ad omnium Sanctorum*

ctorum

ctorum hos revocent, sub pœna ditioris cujusque 50 florenorum: pauperioris, 25.

10. *Si quis clam in domibus juventutem instruit, ei auferantur omnia, ipse autem per Lictorem Vrbe ejiciatur.*

11. *Testamenta nemini Non-Catholico condere liceat: si condiderit, nullius valoris sunto.*

12. *Nemo adolescentum, sive sint Parentum liberi, sive pupilli, ad ullas artes & opificia admittatur, nisi catholicam perdidicisset Religionem.*

13. *Si quis de Deo, Deipara Virgine, Sanctis, ritibus Ecclesiasticis, gloriosa item Austriaca Domo, indecori aliquid fuerit loquutus, aut decantaverit; is absque omni gratia capitis pœnam luat.*

14. *Quicquid ullus civium in Catholicæ Religionis ignominiam in domo sua (intus vel extra) pictum habet, id ut mox, sub pœna 30 florenorum deleri curet. Similiter quicquid portis, Templis, aliisve publicis locis sculptum aut pictum, confringi, eradi, induci, memoriamque Christi crucifixi aut aliud quid substitui, faciant.*

15. *Pauperes in Xenodochiis nisi ad Festum omnium Sanctorum hoc ipso anno*

fuerint conversi, ejiciantur: neque posthâc nisi Catholici recipiantur, &c. Clausula fuit: *In hoc S. C. M^tis Domini omnium nostrûm clementissimi immotæ voluntati satisfiet*, &c. &c.

Carolus Princeps de Lichtenstein.

Sed hæc generalia, & omnibus communia erant: addemus particularia quædam exempla, è quibus mille Satanæ artificia melius forsan patescent.

Cap. XCII.

Reformatio Pragensis.

MOx à capta Praga, citati sunt à restitutis Cæsareis Judicibus cives Catholici, & sub fide examinati, ut quemcunque Euangelicorum aliquid proterve dixisse aut egisse sciret quisquam, proderet. Quæ ut pro veritate vel affectu dictabat quisque, quasi oracula excepta sunt, & postea multis, etiam omnimode innoxiis, mortis causa fuerunt.

2. Reliquis Civibus, qui se in gratiam receptos credebant, Anno 1624.

23. Febr.

23 Febr. Decretum prælectum est. *Rebellione suâ fortunarum fecisse jacturam. Cæsarem tamen non omnibus exutos cupere, sed ut in belli subsidia pendat quisque facultatum suarum partem.* Hîc igitur sub juramento exigebatur à quolibet possessionum suarum æstimatio: Atque juxta hanc cujusque confessionem (vel etiam quantum à parata pecunia quis posset, suspicionem) impositum est cuique gratiæ lytrum (pro obtinendo *Perdone*, ut vocabant: sed revera ut *perderent*) centeni, duceni, milleni, bis, ter, quater, sex &c. milleni floreni, vel mox, vel per terminos numerandi.

3. Exinde prohibiti sunt (15 Aprilis) in civitatem adscribi Non Catholici: qui vero ab Anno 1618 adscripti erant, his opificiis & negotiationibus interdictum est. Quô fulmine alii quidem ad pusillanimitatem & defectionem, alii ad inopiam redacti sunt.

4. Paulo post (nempe 29 Maji) affixæ sunt valvis domuum Prætoriarum, in omnibus Urbibus, pendentes lit ræ, hoc tenore.

*Illustrissimus Princeps, Dn. Carolus de Lichtenstein, &c. intellexit è fide dignis, non nullos ex proscriptis nuper Prædicatoribus in Pragensium Vrbibus clam non solum latitare, sed & per domos, hortos, vineas, cœtus & opinabilia sacra agere, eoque modo populum à Magistratûs legitimo obsequio abducere. Quod cum Ill. Celsitudini suæ, ob periculosum obortæ nuper Rebellionis exemplum, nullo modo ferre conveniat, mandat igitur S*a*. C. M*tis* Iudicibus severe, ut diligentissime invigilent, & sic ubi clandestinos ejusmodi cætus agi deprehendere possunt, mox, custodiâ publicâ assumptâ, in easdem ædes (non habitâ personæ ullius ratione) irruant, deprehensosque, sive Prædicantes, sive legentes & cantantes, arresto constringant. Intellexit quoque cantiones Piccardicas, & sub nomine Psalmorum compositos rhytmos non privatim solum, sed & publice per vicos & plateas, decantari: id igitur quoque ut amoveatur, nihilque ab Ecclesia Catholicæ non receptum ab ullo homine canatur, idem illi animadvertent sedulo. Nec minus, ut Pædagogi omnes Non-Catholici ex omnium Civium domibus exigantur, & si post fuerint comprehensi, ad carce-*

carceres & pœnam trahantur, &c.

5. Insequutum fuit 13 Septembris aliud, atque id quidem blandius, edictum; *quô Pragensibus post exsolutam illam mulctam Cæsaris benevolentia & privilegiorum integritas denuntiabatur*. Quâ tamen utrâque non diu gavisi sunt. Nam ut continuas Religionis nomine vexationes taceam, prodiit anno vertente à Regni Officiariis ad Senatus Pragenses decretum tale;

Supremi Regni Officiarii & Iudices, nomine & loco S.C.M^tis mandant per delegatos suos Commissarios Consuli & Senatui minoris (sic & antiquæ, novæ, &c.) Pragæ, ut omnes Cives suos Non-Catholicos in Curiam accersitos de finali Cæsareæ M^tis voluntate edoceant: non aliam esse, quam ut omnes jam heresi relictâ ad Ecclesiæ gremium se recipiant. Quod si qui præfractè obstinati reperti fuerint, hos non Civitate solùm, sed & quocunque modo victum quærendi facultate, privandos esse, significabunt. Decretum in Cancellaria Bohemica, Anno 1626, 13. Febr.

6. Anno ineunte 1627, delecti ab

Imperatore fuerunt, Religionis Commissarii supremi: quorum nomina supra (titulo XLIX) posuimus. Hi igitur à Pragensibus Apostolatum suum auspicaturi, 27 Martii Capitaneis Urbium Pragensium decretum mittunt: in quo post verbosissimam paternæ Cæsaris pro salute subditorum curæ; eruditionis item, pietatis, zeli & vigilantiæ, Pastorum Spiritualium (quorum tanta Pragæ & per totum Regnum esset copia); denique miræ erga hæreticos hactenus adhibitæ mansuetudinis & tolerantiæ, commendationem: & Hæreticorum contra obstinatæ pervicaciæ deplorationem; jam serio S^a. Cæs. M^{ti}, & sibi agendum esse protestantur. Jubent igitur, ut eorum quisque in Urbe sibi commissa Cives consignari, & sibi exhibere curet; sed in classes quatuor tributas. *Primo Ordini, ut inscribantur Catholici nati; secundo, nuper facti; tertio, qui spem conversionis suæ fecerunt; quarto denique, obstinati,* &c. Datum ut supra.

7. Capitanei mandata hæc dant Judicibus Cæsareis; illi plebis Tribuni

& De

& Decurionibus. Atque hi oſtiatim circumeundo, in ſingulis domibus Patrem, & Matremfamiliâs, famulos & famulas, omneſque inquilinos, examinant, & cui ordini adſcribi vellet quisque, rogant, ſimulque adſcribunt. Confecti ejuſmodi Catalogi offeruntur Commiſſariis: qui, dum pauciores opinione in primo, ſecundo & tertio ordine eſſe animadvertunt, quid in tanta hæreticorum turba factô ſit opus, ut nimirum tumultus præcaveatur, anxie deliberant. Tandem concludunt, Capita eſſe removenda; Viros ſcilicet authoritate apud populum aliquâ, ejiciendos.

8. Initium factum à quatuor venerandâ canitie antiquæ Pragæ Civibus: in quos vibratum edictum (curialibus omiſſis) ſic ſonat: *Cum dolore percepimus nonnullos Pragenſium tam pervicaci eſſe contumaciâ, ut benigniſſimâ Caſ. M^tis pro ſalute ſua curâ omnibusque vere paternis monitis ſuſque deque habitis, meliorem ſuperbe reſpuant inſtitutionem, & velut inſanabiles nullum admittant conſilium: iſta ratione pernicioſiſſimum de ſe aliis, qui facilius corrigi ſe paterentur,*

præbentes exemplum. In quorum numero cum sint, Iohannes Theodorus Sixtus, Iohannes Peldrzimowsky, Abrahamus Angelus, & Iohannes Iacobus Heyden; mandamus Generoso Ioachimo Slawatæ, Baroni de Chlum, &c. antiquæ Vrbis Pragensis Capitaneo, ut prædictæ Vrbis Cæsareo Iudici, ut Consuli & Senatui, negotium det prænominatos quatuor ad se vocandi, illisque, si forsan adhuc resipiscere vellent, peremptorium terminum ad ultimam hujus mensis diem, denominandi. Quod si obcæcati & indurati esse pergent; volumus & mandamus serio, ut ante occasum Solis ejusdem ultimæ diei, non Pragâ solum, sed & mox inde toto Regno excedant. Priusquam tamen emigrabunt, exsolvant omne alienum æs, & ut Cæs. Mti rebellionis mulctam, si nondum plene exsolverunt, dependant. Tandem volumus prædictos, Capitaneum, Iudicem Cæsareum, Senatumque per Viros Catholicos juratos omnem istarum substantiam mobilem & immobilem taxari: atque juxta quam repertum fuerit, ejus portionem ad exsolvenda Reipublicæ debita defalcari, ac cum residuo demum dimitti. Reliquos autem Vrbium Pragensium Incolas omnes admoneri.

moneri volumus serio, ut horum exemplo sapere, & similem pœnam antevertere discant: scientes Sacræ Cæs. M^tis clementissimæ voluntati ita satisfieri. Dabantur Pragæ è Reformationis Commissione, 12 Iulii, Anno 1627.

9. Proscripti, supplice libello oblato, terminum ad sua divendendum nimis brevẽ esse questi, eundem prorogari obnixe petebant: sed responsum est alio Decreto, (23 Julii) *postulatum hoc meram elusionem esse, ut jure nihil concedi possit. Ne tamen ulla querelarum supersit materia, protendi ad 14 dies terminum; sed eâ cum exceptione, ut in perdiscenda interea temporis Religione Catholica serium studium & docilitatem promittant: aut nisi addidicerint, elapsis illis 14 diebus, ad carcerem se sistant.* Hôc exterriti edicto, & nihil superesse gratiæ videntes, festinârunt egredi, uxoribus interim ad componenda negotia relictis. At in has quoque mox vibratum est telum: novum inquam Edictum vulgatur 28 Augusti. *Nunquam Cæs. M^tis mentem fuisse inter conjuges divortia instituendi: proinde virum quæque suum (nisi forsan Catholicam fieri allubescat) ut sequatur.*

10. Si-

10. Simili processu alios primæ notæ Cives, jam plures jam pauciores, eôdem complexi edicto (aliquando 70 simul) proscribentes, postquam aliquot centenos ejecissent, desierunt: reliquam turbam facilius jam cogi posse opinati, ut & factum. Hi enim carceribus & aliis pressuris (cujusmodi sub aliis mox Urbibus describemus) ad universalem apostasiam (paucis exceptis, qui ultro profugerunt) adacti sunt. Atque hoc modo triurbs illa, populosissima, & Papæ semper contemptrix Praga, invitissima licet, & adeo reluctans, Antichristo succuba facta est.

CAP. XCIII.

Reformatio Kuttebergensis.

QVi adversus Pragenses institutus fuit pocessus, utcunque juris & æqui colore fucoque pingi potuit. Iis namque (quod specioso nomine sic vocarunt) Emigrationis beneficio utcunque frui, bonaque quæ moveri non-

non possunt distrahere, quæ moveri possent convasare, libereque efferre, est datum. Cæteri ne idem possent, immanis tum ministrorum in Urbibus regiorum, Monachorumque, sævitia, tum militum stationariorum insolentia, obstitit. Etenim miserabiles homines illi, cum omnes ferè, harpyjarum istarum metu, domibus profugissent, licentiosissimè ac avidissime ab iis sunt expilati, nec quidquam de supellectili fortunisque, nisi quod temporius ac furtim subduxissent, exportare permissi. Domus ipsorum & agri, quasi pro derelicto essent habiti, invenerant paulo post qui in eos similiter involabant. Paucissimis exturbatis possessoribus eadem quæ Pragensibus obtigit gratia. Erit hæc in iis quæ sequuntur plenius videre.

2. Primi nominis, post Pragam, Bohemiæ Urbs Kutteberga est, copiosis Argenti fodinis, Civium frequentiâ, & Orthodoxias zelo, clara. Hæc Cæsaris nomine præsidentem habet summum rei monetariæ Magistrum, Baronem vel Equitem; sacrorum

rum verò Antiſtitem Archidecanum, cum aliis Paſtoribus & Collegis ſeptem. Hæc ut à monetæ Magiſtro (Wreſowecio) Religionis nomine vexari cæpit, cæpit & reditus fiſci minui, operariis metallicis (plerunque Germanis) hinc inde dilabentibus. Hoc animadverſo incommodo, depactus eſt cum civibus Cæſar, ut illi ipſi ad decennium metallis præeſſent, Cæſari certam quotannis pecuniæ vim dependentes, interimque privilegiis ſuis, & Religione (ab omni milite tuti) perfruentes. Subſcripſit Cæſar & ſigillo firmavit pactum, 24. Junii, 1625. Quod inſigni Civium gaudio exceptum eſt: multis etiam aliis ibidem ſibi Sareptam, & Abdiæ ſpecus, promittentibus.

3. Sed doluit Satanæ ullum ſupereſſe fidelibus receptaculum: perfecit igitur per ſuſurrones Jeſuitas, ut Cæſar, neſcio cujus novæ Rebellionis metu, cum vix quinque menſibus conventioni ſtetiſſet, militem reduci curârit. Quibus (6. Decembris) Urbem ingreſſis, mox Religionis negotium reſumitur. Cives rei novitate, contra-

tam.

tam clara pacta, attoniti, denuo per supplices libellos sollicitant, id saltem sibi gratiæ (ad retinendos rei metallicæ operarios, expetentes, ut non violentis mediis procedatur. At loco responsi mandatum Capitaneo datur (22 Decembris) ut *Hlawsæ* Consuli, *Paulo Scretæ, Iohanni Schreytero, Iohanni Agathono*, *Sigismundo Koselio*, & *M. Petro Caponi*, Senatoribus & Civibus primariis, tanquam hæreticæ obstinationis antesignanis, viceni sclopetarii in domos mittantur, alendi cuique, donec à Confessario schedulam, præstitæ confessionis testimonium, exhibuisset. Milites licentiâ insolescentes, non solum lautissimâ & profusâ tractatione exsugebant, sed & aliis modis, ut cuique placitum erat, divexabant bonos Viros: quorum tamen patiens constantia istorum malevolentiam superavit. Quamdiu enim poterant, suppeditabant; deficiente penu, pars fugâ se ulteriori subduxit periculo, pars resignabant rei domesticæ administrationem, claves ipsis hospitibus tradentes.

4. Cum hoc modo non procederet nego-

negotium, demandatur provincia Kuttebergam reformandi *Don Martino de Huerda*: qui turmâ cataphractorum ſtipatus, & gladium evaginatum dextrâ præferens, Urbem ingreditur, pridie Paſchatos Anno 1626. Cives adventu ejus, qui crudelitatis ſuæ in aliis jam Civitatibus ediderat ſpecimina, exterriti, mox ea nocte magno numero profugiunt, per vicinos pagos & oppida latitaturi. Don Martin hoc animadverſo, Pragam redit, obtinetque edictum vulgari, de non recipiendo aut fovendo quoquam profugo, ſub centum Imperialium mulcta.

5. Cum autem ne ſic quidem redirent Kuttebergenſes: prodit aliud, 17 Auguſti, redituris promittens impunitatem. Reverſi igitur, ſed ſuo malo, nonnulli. Nam anno ſequente, conſtituto è leviſſimis Apoſtatis Senatu (quorum quidam, & in his Prætor Civitatis, nuper equiſo, literarum etiam ignari erant) militum auxilio tam varie preſſi ſunt, ut plerique malorum diuturnitate fracti, perſequutoribus manus dederint, collaque Antichri-

ſtiano

ſtiano ſubmiſerint jugo: aliis cum uxoribus & liberis (omnibus poſt tergum relictis) in exilium concedentibus.

CAP. XCIV.

Boleſlavienſis Reformatio.

CIvitas hæc à ducentis fere annis Orthodoxiam amplexa, Fratrum ſedes præcipua, & ob id Antichriſto præcipue exoſa fuit. Ejectis igitur Anno 1623 Miniſtris, ſubſtituerunt vaferrimorum Cappucinorũ par, qui indefeſſo ſtudio incolarũ pervertere fidẽ laborabant. Sed toto triennio omnibus adhibitis artibus vix tantum effectum eſt, ut ad Senatum reformandum aliquot ſuppeterent apoſtatæ.

2. Anno igitur 1626, adducto trium vexillationum præſidio, vis adhiberi cæpta eſt: primumque (Februario Menſe) civium quidam in exilium ejecti, alii carceribus impacti. Proſcripti ſunt (20 Martii) ad incutiendum aliis terrorem, *Adam Trubacz*,

Iohannes

Iohannes Bukacz, & *Petrus Stehlik*: datis in manus baculis bicubitalibus, quadratis, quibus culpa cujusque inscripta fuit. Primi sic; *Adam Trubacz ideo proscribitur, quod dixit: Neminem esse tam potentem, qui Conscientiæ ejus imperare posset.* Item, *se non devoturum animam suam Diabolo, ut cæteri.* Obversæ parti inscriptum fuit: *Vos ejectum voluistis Regem vestrum, nunc ecce Rex vester ejicit vos.* Tertiæ: *I, & disce subesse Deo & Regi tuo.* (Dixerat enim Reformatoribus: *sibi non esse stramineam animam, quam ut flocci pendere possit. Item quæsierat, num si hanc perdidisset, Cæsar ei aliam posset restituere?*) Bukaczii baculus eadē habebat; excepta culpa, quę hoc modo fuit expressa: *Johannes Bukacz ideo proscribitur, quod dixit: Omnes novos Catholicos esse nequam, proditores, perfidos Deo.* Stehlikii baculus, quid habuerit, non constat, porta enim egressus, eundem confregit & abjecit.

3. His ejectis, cum cæteri nondum resipiscere velle viderentur, citantur denuo in Curiam, & variis conclavibus includuntur. Evocanturque inde singuli, & tentantur varie. Inter primos

mos fuit, Urbis Notarius *Daniel Miconius*: cui ingressuro, subornârunt Carnificem gladio instructum, in angulo stantem: quem simul ac conspexit, homo pavidus, & vitæ perperam amans, Catholicismum amplecti pollicitus est. Hoc illi initio læti, regredi, cæteros ad simile obsequium hortari, domumque redire, jubent. Ille ad hos & illos ingressus, tremebundus, serio rem agi, & carnificem adesse nuntiat: obsecrans amicos, ut caute agant, & suimet habeant rationem. Aderant arrestatis duo Viri consulares, literati, olimque artium Magistri, *Georgius Kezelius*, & *Henricus Daniel à Semanina*: à quibus cum alii pendere viderentur, illi se & illos egregie dictis animare, & ne imaginarios istos terrores tanti faciant, hortari. Mox evocatur *Kezelius*, & variis jam blanditiis, jam comminationibus, tam diu fatigatur, donec incautius deliberandi spatium poposcisset. Hoc illi promisso contenti, *Semaninum* accersi jubent: qui de Kezelii vacillatione certior factus, eo magis intra se effervescit, cumque illi

senex

ſenex quidam, *Georgius Pernikarz* exemplum hoc quaſi ad imitandum proponeret, ille huic in faciem inſpuit, *Hæcne tua quoque eſt conſtantia perfide*, inquiens? ſimulque pergit & ſe Reformatoribus ſiſtit, ut rupes, immotus: quemadmodum & ſequentes omnes. Tandem & Kezelius majorem in conſpectu Dei quam eam, quæ coram hominibus accidere poſſet, confuſionem conſiderans, ad ſe rediit, ſpemque de ſe conceptam Categorico reſponſo præcidit: Sed cum aliis ad carceres remiſſus.

4. Inter animoſiſſimos fuit, *Bartholomeus Lang*, ſcriniarius, qui gladium admittere, quam fidem abnegare malle proteſtatus, cum aliis aliquot in fætidiſſimum, maleficorum torturæ deſtinatum, locum contruſus eſt, ibique per 17 hebdomadas (domo interim ſuâ, ut & aliorum, licentioſo milite oppletâ) detentus eſt. Sed unus ex hoc ſodalitio, *Georgius Smidarsky*, morbo à fætore & nauſea contracto, ibidem in carcere piè vitam finiit: ſed ab impiis vix ut terræ mandari poſſet, impetratum.

5. Cum

5. Cum hâc vice & viâ, nullius expugnare possent constantiam, dimittebant, ad deliberandum ulteriore concesso termino: præsertim cum eodem anno (1626) Bethlemio bellum Cæsari inferente, Mansfeldius quoque & Wimariensis cum Exercitu Regis Daniæ Silesiam ingressi, metum auxissent tyrannis. Nam in Augusto Diplomata missa sunt ad Urbes, Cæsareæ Mtis voluntatem non esse, violentis mediis ad fidem adigi quenquam, sed ut, si cui consentire cum sua Majestate non lubet, emigrare fas sit, &c. Hæc igitur Diplomata Boleslaviensibus quoque interspirationem aliquam attulère.

6. Sed anno sequente, sedato Hungarico bello, & profligatis è Silesia Dani copiis, recruduit ubique tyrannis: datum etiam Senatui Boleslaviensi mandatum, ut sequitur.

Circumspectis Consuli & Iuratis Civitatis Neo-Boleslaviensis dilectis.

Spectabiles, amici dilecti. Inaudivimus multos concives Vestros Neo-Boleslavienses, Sa. Cæs. Mtis Regis & Domini nostri clemen-

clementissimi assiduis & paternis monitis, salutaribusque Ecclesiasticorum informatoribus adversarios, hactenus in obstinata protervia perseverare. Sacram salutiferamque Catholicam religionem aspernari : potissimumque duos, Georgium Kezelium, & Henricum à Semanina, pertinacissimos Sacræ Cæs. Mtis voluntati & mandatis adversarios, offendiculo, & Non-Catholicorum malo exemplo, exstitisse. Proinde nomine & loco S. C. Mtis Regis & Domini nostri clementissimi, vobis mandamus, istos duos concives primarios schismaticos & sectarios, serio moneatis, ne alios suis erroribus perturbent, quinimo abjecto erroneo dogmate jam tandem puram Religionem amplectentes ad gremium Catholicæ Ecclesiæ redeant ; & hoc circa terminum Ascensionis Christi, aut peremptorie Pentecostes, sub pœna è civitate exclusionis, & Regno Bohemiæ excommunicationis, perficiant. Cum autem Vobis constet de nuperrima loco & nomine S. C. Mtis facta à piæ memoriæ Principe Lichtensteinio Pro-Rege Bohemiæ constitutione, ut omnibus Non-Catholicis, schismaticis, in Religione cum S. Cæs. Mte Magistratu clementissimo non consentientibus, concordiæ

&

& pacis perturbatoribus, civibus & suburbanis, jura & omnes civiles contractus inhibeantur: atque id an à Vobis factum fuerit, nondum certiores redditi simus; Si hactenus id factum non est, Vobis nomine S. Cæs. M^tis^ præcipimus, hoc tempestive ut perficiatis, omnesque Cives & incolas, inquilinos, servos utriusque sexûs seniores & juniores, Non-Catholicos, errorum schismaticorum tenaces, serio admoneatis, suo temporali & æterno bono ut consulant, ad gremium Sanctæ Catholicæ Ecclesiæ sub pœna animadversionis durissimæ & certissimæ, redeant. In quo negotio quid à Vobis exsecutum fuerit tempestive nos edoceatis: hâc ratione S. C. M^tis^ voluntatem impleturi. Datum Pragæ 17 Aprilis, Anno 1627.

N. N. N. à S. C. M^te^ pro Reformatione Religionis in Bohemiæ ordinati Commissarii.

7. Aliæ eorumdem ad eosdem eodem anno datæ:

Prudentes Circumspectique, Amici dilecti. Sperabamus constitutionem nostram nomine S. C. M^tis^ Domini nostri clementissimi, nuperrime Vobis transmissam Vos

 obse-

obſequenter exſequuturos, concives Veſtros Non-Catholicos ſchiſmaticis erroribus valedicturos, & ad Religionem Sanctam Catholicam acceſſuros, potiſſimum vero duos pertinaciſſimos hæreticos, Georgium Kezelium, & Henricum à Semanina, citra terminos ipſis præſcriptos Confeſſionem auricularem, & ſumptionem Sacramenti Altaris juxta inſtitutionem Sanctæ Eccleſiæ Catholicæ, ſub una ſpecie, participaturos. At percipimus ſupra nominatos duos ſectarios, & alios conſimiles cives Veſtros, hactenus in innata protervia verſari, Catholicam Religionem & ſalutarem doctrinam aſpernari, neminemque illorum ad hoc uſque tempus Religionem Catholicam amplecti. Cum autem S. C. M^tas ejuſmodi rebellibus ſubditis, qui cum S. C. M^te Magiſtratu ſuo clementiſſimo Religionem colere recuſant, ſed cerebri ſui rationes ſequuti, eo modo irritamenta incendiaque multifariarum hæreſium (unde varia ſchiſmata, diſturbationes Rerumpublicarum, imo totius Regni plerumque, oboriuntur) eſſe deprehenduntur, gratiam Cæſaream & Regiam, manſionemque & negotiationem in Regno Bohemiæ hæreditario ſuo, non concedat: loco igitur & nomine S. C. M^tis Domini noſtri clementiſſimi, Vo-

bis

bis serio mandamus, ut isti duo schismatici, non tantum jure civili & communitate civitatis priventur, sed sine respectu personarum, conditionis & tergiversatione Civitate adeoque toto Regno Bohemiæ quam citissime proscribantur, ipso excommunicationis die aut perendie ad occasum Solis Civitate exeant, in posterum in civitatem, adeoque totum Regnum Bohemiæ, nunquam redeant; sub pœna, si aliquando redierint & comprehensi fuerint, gravissima, &c. Cæterum eôdem S. C. M^tis nomine Vobis serio & stricte mandamus, Civibus incolisque, civitatis Neo-Boleslaviæ Non-Catholicis, omnia jura, exactiones, emptiones, venditiones, mercimonia civilia, prohibeatis: severo facto interdicto, ne quis imposterum sine permissu nostro aliquid simile tentare audeat, nisi prius à pertinacia & erroribus hæreticis abscesserit, voluntati paternæ Sæ. C. M^tis pareat, salutarem Religionem Catholicam amplectatur, & hujus rei à Confessario testimonium proferat. In quo eosdem denuo serioque moneatis, nomineque nostro stricte mandetis, ut sine ulla tergiversatione ad ultimum Iunii anni præsentis peremptorie Religionem Sancto-Catholicam arripiant.

Quilibet ordinario Sacerdoti Catholico confiteatur, & Sacramentum Altaris secundum consuetudinem Romano-Catholicæ Ecclesiæ devotè & reverenter recipiat, sub pœna similis è Civitate, adeoque toto Regno Bohemiæ, proscriptionis. Petitionem vestram de removendo à Civitate Vestra milite diligenter promovebimus: tantùmmodò dabitis operam, ut omnes Concives vestri eò citius Catholicismum recipiant. Hâc enim ratione Vobis omnibus & singulis in hac vita & futura optime succurretur; & S. C. M[tis] *voluntas explebitur. Datum Pragæ* 15 *Iunii, Anno* 1627.

N N. à Cæs. M[te] *Bohemiæ, Hungariæque Rege ad reformationem Religionis in Regno Bohemiæ Ordinarii Commissarii*

8. Factum: proscripti duo illi, cum aliis aliquot: pars etiam ultro, insidias evitaturi, emigrârunt, aut potius clam profugerunt. Aliis negotiation interdictum. Ipsi Cappucini forum & domos obibant, mercatorum tabernas, cellas vinarias & cerevisiarias obsignabant; vendentibus nihilominus pannos, linteamina, alias merces, eripiebant: nemine contra hisce

e audente. Major igitur pars, eheu! t vendere & emere possent, characterem acceperunt Bestiæ.

Cap. XCV.

Reformatio Litomericensis.

ANno 1517, Augusti 21, Civitas Litomericensis de publico & Unanimi omnium Civium consensu plebiscito caverat) quod & publicis Tabulis, & Opificum Collegiis inscripserant) *ne quisquam sub Vna in Civium numerum adscribatur, neque si vel sit indigena, & id quidem concordiæ causâ. Si quis abrogationem ejusce plebisciti suaserit, Civitatis jus ut amittat, ac intra mensem Vrbe excedat.* Rata fuit hæc lex & observata centum annis inviolata, usque ad Ferdinandum modernum, Anno enim 1617 subornati duo Jesuitarum manipulares, *Nicolaus Mrazek*, & *Bartholomæus Collenius*, emptis ibidem domibus jus Civitatis poscere ausi sunt. Quô negato, querimoniam instituerunt in Cancellaria Regni: quo

citati è Senatu tres primarii, cum Notario, asperrimis à Cancellario, & Paulo Michna Secretario, verbis excepti, & in Arce Pragensi, donec consensissent, (novem dies) Arresto detenti sunt. Quid fit? post menses quinque prædictus Mrazek Senatui accensetur, ut nimirum ubique speculatores haberent suos. Sed ille, interea dum Ordines adversus Religionis Euangelicæ hostes, Vicarios regios, in armis sunt, nolens volens quiescere coactus, à Cæsaris demum victoria resumpsit animos: & Cæsareus creatus Judex Litomericensibus, quibus potuit modis, molestus esse & incommodare perrexit. Tolerârunt autem omnia fortiter, præ cæteris Urbibus. Nam neque Papistica sacra, suis orbati Pastoribus, frequentârunt, nec ullus ad apostasiam se pellici passus est: utut callidissimi duo seductores (*Valelerianus Magnus*, & *Franciscus Rozdrazovius*, Cappucini) cum Civium primoribus sæpius institutis colloquiis, operosissime rem egerint.

2. Hâc viâ se nihil proficere videntes,

tes, vim adhibent. Anno 1625 pridie Paſchatos, inſcribunt ſchedulis omnium Civium nomina, perque Decuriones ſuam cuique tradunt, cum mandato, ut ſe cras, & deinceps feſtis anni diebus quibuſque, in Templo ſiſtat, Concionem & Miſſam auditurus. In præſentiæ autem ſignum, ſub egreſſum Æditui ſchedulam ſuam repræſentet: ſecus mulctam quinque ſexagenarum, pro ſingulis vicibus, depenſurus. Sed ne ſic quidem res ex voto proceſſit.

3. Tandem igitur, introducto numeroſiore milite, furioſe rem occipiunt. Die Corporis Chriſti, (quem vocant) jubent idololatricis ſuis proceſſionibus multitudinem omnem intereſſe. Viris Conſularibus & primariis mittunt geſtandas coloris varii candelas cereas. *M. Paulo Stranſky*, Urbis Syndico, quia ludicro iſti intereſſe noluit, neque comparuit, immittitur integra vexillatio armata: qui, ipſo in latebra domûs deliteſcente omnem ejus penum diripiunt, uxoremque ejus Catharinam, ad focum deprehenſam, miris

cavillis & comminationibus divexant. *M. Georgius Colſinius* (Viri Conſularis gener) rapitur ad jus militare, machinationiſque contra Catholicos accuſatur, quod Cantorem Templi glande plumbeâ trajicere tentâſſet; ob quod Hipparchus *Laurentius Mediceus* (homo Italus) mortem ei minitatus, in Curia interim aſſervari jubet. Sed quia calumnioſum fuit commentum, quô onerabatur Colſinius, ut & directæ in cæteros machinæ, (Deo furores hoſtium cohibente) abière comminationes iſtæ in fumum, milite iſto mox in Germaniam contra Danum abducto.

4. Ineunte 1626 anno obruunt hos iterum peditatu, perque domos primorum denos, vicenos & tricenos diſtribuunt, affligentes peſſimis modis, quoſcunque præſtantiores, conſtantioresque vident. Hi autem vel fugâ elapſi, vel ad omnia perpetiendum fortiter in Deo obfirmati, efficiunt ut hoſtes, plagas quaſi inferendo delaſſati, mitius agere cæperint: Edictum nempe vulgando, ut ſi qui Religionem nollent mutare, cum uxo-

uxoribus & liberis intra tempus certum Urbe & Regno excedant. Potior igitur fidelium pars, Magiſtratui hâc in parte illæsâ conſcientiâ obſequendum arbitrati, in vicinam Miſniam ſe recipiunt; Reliqui ſuccubuêre.

CAP. XCVI.

Reformatio Hradecenſis.

HRadecium Reginæ, elegans & ampla Civitas, orbata primario Paſtore ſuo, *Iacobo Hrabæo*, cum Collegis, facetum nacta fuit Archidecanum, *Iohannem Cæleſtinum*, qui omnes violentos ſibi diſplicere modos ſæpius proteſtatus, blanditiis rem peragendi ſibi & aliis ſpem fecerat. Civium igitur domos obiens, aut ad ſe invitans, quotidie compotationibus & colluſionibus (vini enim & aleæ inſatiabilis helluo fuit) jocis dicteriisque animos demulcebat.

2. Ut autem toto quadriennio neminem hâc viâ converti vidit, auſteriorem induit vultum. Rogat militem

Croatam, ibi tunc exiſtentem, jam tandem ſibi auxilio eſſe. Congregato igitur die ſacro cætu, Miſſæ myſteria explicat, ad proceſſionem à concione inſtituendam invitat, & hortatur; ſubornatis jam, qui negotium promoveant, armatis Collegis. Præeuntem igitur cum Monſtrantia cum nemo ſequi vellet, Croatæ in Templum irruunt, evaginatisque acinacibus ſequi côgunt. Populus territus, & cædem metuens, velut mente alienatâ procurrunt, ſed à diſpoſitis in foro Equitum turmis repelluntur. Ita quidam nolentes volentes, deambulatiunculam illam ſequi compulſi ſunt, alii effugerunt nihilominus: utriſque autem res in riſum abiit.

3. Anno igitur 1626 Reformationis Commiſſarii totam Brennerianam legionem eô immittunt, cum expreſſo mandato, non excedendi, niſi Urbe reformatâ. Archidecanus tamen primores primo irretiendos ratus, aſſumpto Capitaneo Strauſſio, quoſdam adit. Et primo quidem proxime ſibi adhabitantem *Nicolaum Acontium* Medicum, (ſed ob dolores poda-

podagricos aliquot annis clinicum) ab illoque ſevere, num Catholicus jam tandem fieri vellet, requirit. Ille: *Quoad non ſenſero in corde meo alios motus, reclamante Conſcientiâ nihil poſſum*, reſpondet. Sed Archidecanus irâ accenſus, *ſatis diu jam*, inquit, *tolerata eſt protervia veſtra, non amplius ulli ſophiſticationi locus eſt.* Medicus iterum: *Fama, Oculus, Conſcientia, non patiuntur ludum.* Archidecanus: Quamdiu non tria quatuorve decutiantur capita, Civitas hæc ad meliorem reduci mentem non poterit. Medicus: *Si meum Tibi quoque putas obſtare, & ejus tibi poteſtas eſt, decuti jube. Malo ſemiputre hoc cadaver per glebas raptari, fruſtratimque diſcerpi, quam ut ſciens volens vim inferam Conſcientiæ.* Archidecanus furibundo ſimilis, ſurgit & foras ſe proripit. Capitaneus eũ inſequuturus, ſubmiſſa voce ad Medicũ: *Non deerit Tibi Domine conſiliũ: lõge lateq; patet Mundus.*

4. Mox convocatur, una cum ſuburbanis, tota Civium communitas: occluſisque portis, alii poſt alios accerſuntur, graviſſimiſque comminationibus percelluntur. Timidiores doci-

litatem promittunt. Qui negant, contruduntur in carceres: omnes Curiæ anguli, cellæ, atria, arreſtatis complentur. Dividitur mox per eorumdem ædes ad licentiam inſtructus miles, inſolentiſſimeque debacchatur. Accurrunt pavidæ mulieres, liberi, familia: arreſtatos maritos & patres fletu & clamoribus fatigant. Concidunt plerique animis, alius poſt alium manus dant, moram ſibi ad perdiſcenda Romana myſteria concedi petunt. Ita una dies, unus terror, in tam diu vitatos Antichriſti caſſes miſeros perpulit: quia ad ſanguinem reſiſtendum eſſe, non ad carceres ſolum, non meminerant.

5. Viginti octo ſolum è tanto Civium numero reperti ſunt, qui terrenarum opum diſpendio Conſcientiæ redemerunt opes: cum familiis in exilium egreſſi, nempe *Simeon Daniel à Semanina: Iohannes Tobolecius; Iohannes Zak: Iohannes Nigrinus; Paulus Iacobæus*, &c. plerique Viri literati. Inter quos *Acontius* fuit, qui non abſque moleſtia currui ſe impoſitum Leſchnam Poloniæ transferri curavit: quem

ex

ex Silesia quidem Theologiæ D. ex Academica olim conversatione amicus, jamque communis exsilii consors constantem sub afflictissimo Corporis statu animum admiratus, sequenti προσφωνήσει excepit.

De quo condoleam; de quo commirer, Aconti,
In Te præ reliquis obvenit exsulibus.
Miror quod patriâ exieris pedis impos; Et illud
Quod nunc usque malum Te premat, hoc doleo.
Lucida vis Animi est, cum nec tum deficit, ipsa
Cum vires ægro in corpore deficiunt.

Sed Acontius post toleratam patientissime miseram clinicam vitam annis novem, (Anno 1632. Febr. 25.) placide vitam in Christo finiit. *Simeon à Semanina* ibidem Civis & Consul factus; alii alibi.

CAP.

CAP. XCVII.

Reformatio Bidſovienſis.

QVæ hactenus enarravimus, moderatiora videri poterunt præ illis,quæ ſubjungemus : nempe ubi *Don Martin de Huerda* Reformationis Commiſſarium egit, & alii quidam zelo Hiſpanico. Exempli gratiâ Bidſoviæ, tribus à Hradecio, decem à Praga, miliaribus, diſtante oppido. Hûc ubi cum milite ſuo appulit, convocatis in Curiam Civibus, verboſâ oratione Religionem Catholicam commendabat. Reſpondente autem communitatis nomine, quem ſibi delegerant, *Iohanne Kolacznik ; non eſſe humanarum virium, quod quis toto vitæ tempore diſcendo fuiſſet complexus, intra horæ ſpatium dediſcere: nec convenire, ut quod quis pro Veritate Dei amplexus eſt, deſerat, non edoctus è Verbo Dei meliora.* Ibi tanquam œſtro percitus Huerda, decori etiam oblitus, loco quo conſidebat ſe proripuit, & clavâ quam tenebat manu hominem adortus, plurimis pla-

gis

gis affecit: furoreque adhuc æſtuans, lictorem adeſſe, & hunc (non etiam domum viſendi conceſſo ſpatio) civitate educi (quod apud nos ſummæ ignominiæ nota eſt) juſſit. Hôc exterriti exemplo reliqui, & fumantis urſi metuentes rabiem, ad arbitrium ſe componere, & docilitatem intra certum tempus polliceri.

2. Cum autem fugâ conſcientiam ſalvaturi quidam, uxores cum reculis clam (quibus ſe viduæ quædam piæ adjunxerant) præmitterent, re proditâ, per ſubmiſſum mox militem quicquid ſecum habebant direptum, ipſæ retractæ & vinculis incluſæ, non prius niſi Catholicæ cum Maritis factæ, dimiſſæ ſunt.

CAP. XCVIII.

Zatecenſis Reformatio.

VRbs Zatecum (Germani Saz vocant) illa eſt, quam Princeps Anhaltinus Georgius) in Poſtilla ſua, concione *de Venerabili Sacramento*) nunquam

quam communionem ſub Una recepiſſe, conſtanter inde à prima ſua ad Chriſtianiſmum converſione morem ſub Utraque communicandi retinuiſſe, teſtatur. Addam ego, Calixtinorum quoque deliria mature excuſſiſſe, purioraque ſemper dogmata, ſequutam.

2. Hanc ergo poſtquam in proſcripti Orthodoxi Paſtoris (Johannis Regii) ſuffecti Monachi, ope incubantis ſemper Urbi exercitûs, varie divexârant (non ſolum ſcilicet pro Concionibus, ex more, in hæreſes & hæreticos debacchando; ſed &, ſi quis circumgeſtationi hoſtiolæ intereſſe, genua flectere, & capita aperire nollent, crura & capita baculis quatiendo, pileos eripiendo, & militibus diſtribuendo &c.) Anno 1625 ſeverius res agi cæpta eſt. Circumgeſtabant illi die Corporis panaceum ſuum Numen, non exiguâ plebe comitati. Conſul (*Bohuſlaus Strialius*) quod abfuiſſet, mulctatur 50 Imperialibus; Militumque quantum domus capiebat, vino & epulis lautiſſimis, non ad ſatietatem, ſed ad nauſeam & horren-

horrendum abusum, toto triduo tractare jubetur. Similiter alii Senatores, & quicunque aberant, mulctati sunt.

3. Eôdem anno, 12 Augusti, ingressus urbem *Don Martin de Huerda, mandata duo, idque tam in Templo quam Curiâ, promulgari fecit: alterum de Bibliis aliisque Euangelicis libris (sub pœna centum florenorum Bohemicorum, aut carceris quinque septimanarum) in Curia deponendis. Alterum de Templo & Missa frequentanda, sub pœna (per singulas vices) quinque florenorum, & librarum Ceræ trium.* Unde magnæ animorum alterationes, hæsitationesque, consequutæ. Libri secundâ & vicesimâ ejusdem in Curiam comportati, deinde extra mœnia, ingenti congesto acervo, combusti sunt.

4. Anno 1626. Januarii 6, Don Martiniani Equites, confecta in vicina Lunensi Ecclesia deformatione, Zatecum advolant, & in Civium ab Euangelio desciscere detrectantium domos introducti, haud exiguam pecuniæ summam dietim extorquent. Insequitur hos 20 Januarii ipse Apostolus *Don Martin*; à cujus adventûs horrore

horrore non pauci fidelium, domos & residua relinquere, & exilii subire ærumnas festinârunt. Ille publicato, valvisque Curiæ affixo programmate, ne quisquam sine suo concessu, portis exeat, sub capitis pœna; postridie mox Consulem arresto excipit, nec nisi apostasiam pollicitum, dimittit. Senatores vero duo, *Matthias Litomyſky*, & *Samuel Klatowsky* (quod nuper Monstrantiam non adorâssent) compedibus ferreis constricti, & per dies 14 excarnificati sunt: donec & ipsi apostasiæ consensissent.

5. Januarii 26, Convocato Senatu populoque, ipse Jesuitis & militum præfectis stipatus Curiam ingreditur, ac, ut sese omnes Cæsareæ submittant voluntati, auriculariq; Confessioni, & Sacramento sub Una, communicent, edicit: morigeris à milite levamen, immorigeris onerum conduplicationem, denuntians: respondereque ex ordine jubens, pro se quemque an intra tres septimanas reâpse præstare promittat?

6. Non abnuente quôquam è Senatu (tyranni metu) *Tribunus plebis*, *Wen-*

Wenceslaus Wysotsky modeste conscientiæ iura prætendens, ejus sibi immunitatem poscit. At rabiosus deformator è sella exsiliens colaphis eum adoritur, pugnisque caput conscindit, maledicentissimis verbis excipiens. Inter alia; *Indignus es nebulo, qui hoc loco sis. Iubebo te quadripedem ligari & in profundissimum deturbari carcerem, ubi lumen cœli non videbis: & cum scelestam evomueris animam, carnifici te humandum dabo*, &c. Mandat mox militum Prætori, ut compedes afferri jubeat: adsunt lictores, circumdant pedes & manus ferro, colloquenumellam ferream cum catena crassissima, à qua manicæ dependebant, indunt; atque ita constrictum in carcerem trahunt. Ubi per hebdomadas tres (nemini ad eum, ne uxori quidem aut liberis, permisso aditu) durissimis vinculis gravatus, & nonnisi pane & aquâ sustentatus, à Jesuitis vero quotidie infestatus, fuit. Cum ei mortis sententiam (eo quod sermone rebelli tumultum in plebe quæsivisset movere) nuntiâssent, & ille hanc quam apostasiam malle visus est, dæmonio eum obsideri

P.Cha-

P. Chanowsky, Jesuita, dixit, arctiusque constringi mandavit. Ita bonus Vir, nec vitæ nec mortis se compotem fieri videns, languidissimus jam in Confessionem auricularem consentit; & impetratâ ob valetudinem recuperandam ad thermas concedendi facultate, Annebergam Misniæ se contulit, ad tyrannos non reversus.

7. Similiter optimi quique Civium exilia optabant: & quia portæ arctius obsidebantur, ne quis elabi aut supellectilis aliquid exportare posset, multi, quâ licuit, etiã per mœnium ruinas, miseram vitam (animas potius) de manu Babylonis ereptum ibant. Quomodo plusquam centeni, omnia persequutoribus relinquentes, evaserunt. Atque in his primarii patricii, Dn. de Kralitz, uxor, fæmina ditissima: quæ relictâ supellectile amplissimâ, per muri canalem, quo Urbis sordes elabuntur, Urbe quoque elapsa, & maritum sequuta est.

8. Sed ex profugis, si qui inopiâ pressi (Misnia enim exules nummis exhaurire poterat, consilii & opis aliquid ferre non noverat) in Bohemiam unde-

undecunque auxilium vel eleemosynam quæsituri, procurrebant, proditi subinde capiebantur. Quemadmodum duobus Magistris, Zatecensibus nuper civibus (M. *Lucio*, & *Falconi*) contigit; quos Pontificius Pastor, optimo Viro *Wolfgango Sekera*, ex Moravia jam quoque exturbato, fratre neutiquam dignus cinislo, *Paulus Sekera*, comprehensos, annuo primum carcere domi afflixit, post Don Martin in Arcem Welharticianam excarnificandos transmisit: qui longo carcere valetudinis, propemodumque rationis usu privati, ad Reversales tandem quasdam semivivi dimittuntur.

CAP. XCIX.

Tustensis Reformatio.

NOn postrema inter Civitates Regni liberas est *Domazelce*: quam vicini Germani *Tustam* vocant. Hanc Regni Suc-Camerarius, *Przibik Ienissek*, ad defectionem frustra sollicitaverat:

verat: cumque duritiem illorum Pragæ in Collegio Iesuitarum deploraret, præsens forte *Don Martin* risu id excepit, sponsionem 500 aureorum offerens, se id effecturum.

2. Assumptis igitur militum manipulis, Urbem ingreditur, & in Viros Senatorios denos, vicenos milites, immittendo, licentiâque quovis modo divexandi factâ, non multo tempore plerosque omnes ad apostasiam adigit: pignusque à Suc-Camerario aufert.

3. Sed is in Tustenses, cur non in ejus, sed alterius, gratiam Catholici fuissent facti invectus, ab iisdem mulctæ pecuniam reposcit. Sic miseri Euangelici tyrannis illis pilæ instar ad faciendas sibi delicias fuêre.

Cap. C.

Reformatio Rokezana.

Anno 1624, *Zdenko Leo creatus ex Barone Comes de Kolowrat*, cum Equitum cohorte Rokezanam (Principis

cipis Lichtensteinii auctoritate) immissus, Cives non pecuniâ solum emungit strenue, sed & Religionem, impugnat tyrannice. Vix excogitari poterat quidquam insolentiæ, quod non isti sibi indulsissent. Inter alia, sub anni decursum, quæ de Adventu Christi ad judicium Cantio Bohemica decantari solet, in hunc sensum; *Dies illa erit dies iræ, dies tremenda, celer, magna, terribilis*, &c. hanc ille ad suæ Reformationis diem per mimesin trahens, venientibus ad se civibus scurriliter occinebat.

2. Decembris 20 Civitatem convocat, longâ & asperâ indignatione nuperam rebellionem, Mansfeldium item, Ziskam & civem quondam suum Johannem Rokezanum (illum olim electum Pragensem Archiepiscopum, hominem ut ajebat levissimum, cujus illi vestigiis insisterent) exprobrat, & mox in regesto triplici nomina subscribere côgit. In primo eorum qui jam Catholici essent (erant autem sex apostatæ recens facti): in secundo, qui intra duas septimanas fieri vellent: in tertio refractarii Deo

&

& Cæſari. Cum autem tertii ordinis longe plurimum eſſent, cæpit eos cum ſatellitio ſuo diris devovere, cruce, rota, inferno dignos pronuntiare, & præ animi impotentia vix non rumpi.

3. Sequente die, Thomæ ſacra, in Templo comparere omnes côgit, ipſeque tanquam illis exemplo præiturus, ſub Una communicat. A prandio jubet iterum Campanis ſignum dari, Templumque ingreſſus, ut neminem adeſſe videt (nam ne Monachi quidem adhuc dum aderãt) proripit ſe, & per forum, plateas, domos, diſcurſans, obvios quoſque baculo ad Templum pellit. Ingreſſus iterum, & M. *Iohannem Felicem Streicium*, Civem primarium, ſibi Calvinianiſmi nomine præ cæteris inviſum, conſpicatus, fuſte nodoſo (ruſtico cuidam adſtanti erepto) adoritur, fugientemque ad altare uſque perſequitur, & quà datur tundit: *Tu nequam*, inquiens, *qui te quoque in condemnatorum regeſto conſignaſti, & confiteri recuſas*. Ille Comitem, ut ſervato qui loco ſacro debetur, honore, mitius agat, ac ſe comprimat, rogare: Comes vero plagis,

gis, per caput, humeros, manus, magis inſtat. Felix igitur genibus flexis, Dei opem implorat: ſed tyrannus ſanguinem largius profluentem videns, demum, *Apage te hinc, beſtia, cum tuo Calviniano nequam ſanguine*, inquit. Ille aſſurgens Templo exit, & ſciſcitantibus obviis, quid accidiſſet: *Inter Tēplū & Altare*, inquiebat, *ſāguinē ſtillavi: ſed pro nomine ejus qui ſuū pro nobis copioſius effudit.*

4. Hôcè Templo egreſſo, Comes congregatos cives ad confitendum compulſurus varie in eos deſæviit: omnes quidem maledictis inceſſens, nonnullos fuſte dedolans, quibuſdam in os inſpuens: honeſtiſſimi vero Civis *Wenceſlai Krocini* barbam canam evellens, & per Templum ſpargens.

5. Domum reverſus, Felicem rurſum accerſi jubet, & ſe cum eo inauditam tragœdiam occepturum, niſi cras aliter ſe declaret, minatur. Ille autem craſtinum non exſpectandum ratus (cum nihil ratione, omnia furore agi videret) noctu ſe ſubduxit, relicta octogenaria matre, uxore, & liberis chariſſimis.

6. Comes ſpe deluſus, bona qui-

dem confiſcari, uxorem autem incarcerari jubet. Quos vero ad apoſtaſiam compulerat, compulit quoque ad ſubſcribendum chartæ cuidam, qua Rokizanenſes Deo, Deiparæ Virgini, & Domino Zdenkoni de Kolowrat, ſalutem ſuam acceptam ferre, Catholicamque Religionem ultro, & cum animi lubentia, mediante duntaxat Dn. Comite, amplexos, ſubſcriptionibus manuum ſuarum, Urbiſq; ſigillo, teſtari dicebantur. Ita miſer ille Comes Deo, Cæſari, ſibique ipſi, illudere auſus: brevi ipſe Wiennam citatus, & ob neſcio quæ delicta incarceratus fuit.

Cap. CI.

Reformatio Slanenſis.

SLanenſibus, Urbi alioquin Regiæ, ſed jam Phalaridi Martinicio oppignoratæ, crudeliſſimeque habitæ, in Capitaneum ab eodem Martinicio datus fuit *Nicolaus Hansbursky*, qui pauloante (ob facinus aliquod) Pra-

gæ

gæ carnifici jam traditus, apoſtaſiâ vitam redemerat. Hic ut ſe Jeſuitis gratum declararet, ſtrenue fidelium perſequutionem promovit. Anno 1624, inſtituit Slanæ ſolennem (pomposo illo Corporis feſto) Proceſſionem, Civium plerisque fraudibus & vi, ad id pellectis. *Iohannes Bleyſſa* ab eodem citatus, & ad idololatriæ ſocietatem ſolicitatus, renuit. Quærenti cauſam, dixit: *Quoties Sacrâ Cœnâ uſus ſum, toties me ad fugiendum hæ abominationes Deo obligavi.* Dicenti, Cæſaris voluntati non refragaberis; reſpondit, *in iis quæ Cæſaris ſunt, utique: hìc Dei negotium agitur.* Inferenti: At non deerunt media, quibus compellaris, reſpondit: *Deus voluntarios quærit cultores, non coactos.* Diſceptationis hujus exitus fuit publicus carcer, quô Bleyſſa novem ſeptimanis inobedientiæ (ſic vocabant) pœnas luit.

2. Sed *Iohannes Iahoda* pecuniâ inſuper mulctatus eſt. Cum enim nec idololatricæ illi proceſſioni intereſſe, nec ante domum ſuam Altare erigere vellet, vocatus in jus, blaſphemiæ in Deum & rebellionis in Magiſtra-

tum, accusatus est. Pœna illi pronuntiata, novem hebdomadarum carcer, & 50 (ad comparandæ novæ Monstrantiæ subsidium) Imperiales. *Ille carceris expleto tempore cum argentum deponeret, protestatus est: se ad Monstrantiam nihil conferre (præter enim illam qua in cruce elevata fuit, ad Mundi peccata eluenda aliam se nullam nosse) sed ad obsequium præstandum Magistratui, quoquo tandem illi pecuniam hãc convertere lubeat.* Ob quæ verba ad carcerem relegatus, nonnisi post mensem, interveniente iterum 50 solidorum lytro, dimissus fuit: sed in continenti, cum uxore etiam, civitate pulsus. Vir erat zelo insigni; qui paulo post (Pragæ) peste exstinctus pie obdormivit.

3. *Iohannes Eleyssa* vero, cum iterum (filiâ Ministro Euangelico ad baptizandum clam oblatâ) peccasset, primum carcere fætido, (etiam cum uxore puerpera) post exilio mulctatus est: de bonis ejus tertia solum parte illi concessa, duabus in Domini arcam addictis: sed cum hoc etiam interverti videret, nihil de toto nactus,

ctus, Divinæ providentiæ plena fiducia sese commisit, & exilii ad mortem usque toleravit miserias, Pernæ in Misnia vita functus.

4. Anno 1626 idem Capitaneus, ut universale induceret Apostasiæ diluvium, militem introduxit, & variis torturis plerosque ad desperata obsequia tandem adegit. Inter cætera compulerat in satis angustum Curiæ locum 50 Viros, ubi vix commode stare, nedum sedere, aut cubare poterant. In hoc dum triduum totum detinerentur, & ibidem, omni negato exitu, naturæ opus (honor sit auribus) agerent, fieri non potuit, quin fætore & animi tædio, & indignatione affecti, languescerent. Polliciti igitur docilitatem, dimissi sunt, Parili modo apud se in cubiculo fæminas tractavit, scelestus homo, Migrarunt tamen postea in exilium, quibus Christus cordi fuit.

Cap. CII.

Prachaticensis Reformatio.

REformatio horum (ut & paulo post Pisecensium) á sanguine cæpta est. Nam cum transeunti Cæsareo exercitui cives cum exiguo præsidio, primum quidem restitissent animose ad triduum, deinde tamen deditionem facturi de muris & vallis descendissent, clavesque efferre pararent, hostis furiose facto impetu portam perrupit, & primo Consulem claves ferentem, tum obvios quosque Viros & pubem trucidat; ut intra horas tres, mille sexcenti sexaginta Civium fuerint cæsi: vix decem, quos fuga vel latebra aliqua profundior furori subtraxerat, superstites relicti. Horrendum fuit spectaculum, disjectis per omnes plateas & domos cadaveribus, mire fœdatis, & ad turpitudinem nudatis: nec erat qui mortuos sepeliret, aliquot diebus. Tandem piæ Matronæ duæ, *Christina & Benigna*, (Sorores ger-

germanæ *Alexandri Rumpalii*, Civis & Senatoris Pragensis) manum admovent, maritosque suos, & *Maximilianum Rumpalium* fratrem (Virum consularem) sepulchro quod eis manibus propriis effoderant, inferunt, & terrâ obruunt, exemplo & voce cæteros qui supererant ad pietatis imitationem invitantes.

2. Hanc Civitatem, cum à superstitibus, & aliunde post confluentibus, iterum habitari cæpta est, Cæsar Principi Eckenbergensi (una cum subjectis ei oppidis, Baworow & Strunkovitz, omnibusque pagis) domo dedit. Anno vero 1625 promissum illis est per Reformationis Commissarios, si Catholici vellent fieri, futurum, ut sibi libertas, privilegia, & oppida cum pagis, restituantur. Abnuentibus, opificiis & mercimoniis interdixerunt: & sic quoque immorigeros carceribus diversis, viros, fæminas, filios, filias, constrinxerunt, totisque quatuor mensibus misere afflixerunt. Tandem tamen Catholicis factis nihil restitutum est; ut ne deesset testimonium, sanguinarios

rios pollicitatores istos ejus esse progeniem, qui omnia pollicetur, nihil præstat.

3. Sed quid plura! ex iis utique liquet satis, quam impie, crudeliter, proterve, adversus liberos homines processum sit. Nam quicquid cum aliis, hîc non memoratis liberis Civitatibus factum est, ex similibus dolis, imposturis, tyrannide & impudentia, conflatum fuit. Adjiciemus quomodo promiscuam plebem tractaverint, exempla aliquot.

CAP. CIII.

Processus adversus PLEBEM.

REmotis Pastoribus, & fugatis molossis, quam facile est grassari in gregem lupos? Reperit tamen etiam hîc obices suos Satan, ne (quod sperabat) uno halitu difflare posset omnia. Memorabimus horum etiam aliqua: breviter, & per gradationem, particularibus subinde intermixtis, ad Historiæ fidem, exemplis.

2. Pri-

2. Primum, ſubmoverunt ubique Miniſtros Verbi, etiam ubi quos de ſuis ſubſtituerent, non habebant: tum eripere laborabant de Laicorum manibus Biblia, alioſque utiles libros. Utrumque eo fine, ut paulatim hæreſis (ſic enim ajebant) exſoleſceret, fervorque Religionis refrigeſceret.

3. Subintroducti poſtea Monachi non detonabant illico, ſed blandiebantur molliter, obteſtando, juramentisque, & ſui diris exſecrationibus, fidei ſuæ veritatem adſtruendo; pacem ſtabilem, rerum ſucceſſum, benedictionẽq; Dei omnimodã promittendo: infallibilem etiam Cæſaris Dominorumq; benevolentiæ, & minuendorum onerum, ſpem, profitẽdo: quin & ipſimet, quamvis parum liberales in graviſſima tunc annonæ caritate, vel nummos, vel frumentum, modo Religionem mutarent, offerendo: quâ arte decepti ſunt aliqui. Exempla huius rei cum alibi, tum in Koſſumbergenſi ditione exſtant. Ubi cum Monachus ex hæreticorum converſione laudis (aut certe cælorum meriti) avidior, ſingulis confitentibus

modium ſiliginis promiſiſſet, accurrerunt aliquot egentiores, pro frumento Confeſſionem Sacrifico proferentes. Ille vero granario ſuo metuens, ne forſan largiter diſtribuenti deficeret, parcius diſpenſare conſtituit, venientique tenuioris fortunæ cuidam, nonniſi mediam menſuram tribuit: ſed is abſumpto hoc demenſo redit, ac reliquum petit. Neganti Monacho, *Eho, num anima mea cæteris vilior habetur?* inquit. Atque cum ira diſceſſit. An vero non hoc eſt de animabus hominum craſſiſſime negotiari, ut prædixerat Petrus? vel eô potius inducere miſeram plebeculam, ut pietatem arbitretur eſſe quæſtum: quod graviter in Pſeudo-didaſcalis quibuſdam, & hominibus mente corruptis, àque Veritate averſis notat, in priore ad Timotheum, Paulus.

4. Sicubi autem ita vulpinando paucos attrahi videbant, ad lupinam reverſi indolem, vi ad ſua frequentanda ſacra adigebãt. Confecti igitur ſunt per Eccleſias catalogi, & conſtituta in abſentes pœna, Æditimis eos notandi dato officio.

5. Si qui ad vicina Euangelicorum Templa, (dum ſupererant adhuc aliqua) vel clam adminiſtrata ſacra commeabant, proditi mulctâ, carceribus, plagis, afficiebantur. Subornatus & aliquoties miles, qui Euangelicos cætus invadendo diſturbaret, & diſpoliaret. Cujus rei vel unum apponam exemplum. Cum decurrente anno 1623, ipſo Nativitatis Chriſti feſto in Templum prope Kuttebergam, ad pagum Wyſoka (in Baronum de Dohna territorio) ſitum, multus conveniſſet populus, *Beneda* & *Lazjansky*, Nobiles Bohemi & Hipparchi (Kuttebergæ tunc in præſidio hærentes) ex improviſo cum ſua colluvie advolant, Templum circumdant, irruunt, Miniſtrum (*Georgium Barthium*) ab Altari abſtrahunt, veſtibus exuunt, captivum abducunt (ſed qui evaſit tamen) Panem ſacrum in terram projiciunt, Calicem effundunt conculcantque. Diripiunt inde quicquid ſacræ ſupellectilis erat; homines utriuſque ſexûs deſpoliant, ut etiam quoſdam ad nuditatem uſque exutos, per multa ſtadia

domum verſus altâ nive currentes, rigore frigoris vehementer læſos mori contigerit. Nonnulli vulnerati ſunt, alii (inter tot micantes gladios) ex pavore in morbos prolapſi. Quid præterea cum muliebri ſexu, in Sacrario, & ipſo Templo, patratum ſit, pudor dicere vetat. Manubiæ tanquam hoſti detractæ, publice venditæ ſunt Kuttebergæ; & ſub convivium ex adempto Calice hilariter potitatum: omnia impune. Plures huic ſimiles caſus reticeo.

6. Tentabant poſt majorum malorum comminationibus expugnare animos. Cujus rei exemplo ſit mandatum Capitaneo Pirglicenſi à Principe Lichtenſteinio datum (1624, 20 Decembr.): *ut quicunque in deſerendis ſuis hæreticis erroribus debita negent obſequi, ſive ſint Viri, ſive fœminæ, ſive ſenes, ſive juvenes, municipes & advenæ, inquilini & famuli, nominatim quemque conſignatos ad Cameram Regni tranſmittat, & inde quid de illis eorumque bonis ſit ſtatuendum, inſtructionem exſpectet*, &c.

7. In-

7. Inhibita poſtea fuerunt conjugia, ſepulturæ, baptiſmus, Non-Catholicis: id quod demum fulmen erat concutiendis multorum animis, præſertim matrimonia contrahere cupientium. Baptiſmi enim carentia, & ſepulturæ ignominia (quod per hortos, agros, compita, abſque ceremoniis, humandi eſſent) ferri poterat facilius. Si quis alibi copulari, vel clam infantem baptizari, curavit, longiſſimi carceris pœna fuit: unde niſi per apoſtaſiam vel inſignem mulctam, exitus non patuit.

8. Per oppida, cum Regia tum Nobilitatis, opificia & negotiationes, omniſque victum quærendi ratio, interdicebantur: tandem & emptio alimentorum prohibita; ut Litomyſlii. Inopiâ igitur & fame preſſis vel aufugiendum fuit neceſſario (ſed quônam? ubique eâdem rerum facie exſiſtente) vel deſperandum & apoſtatandum: uti plerique omnes fecerunt.

9. Ruricolas citabant ad Oppida; venire detrectantes, per emiſſam militum,

litum, vel aulicorum & adulatorum, turbam comprehendebant; vel noctu oppressos & cubilibus extractos, catervatim pecudum instar, etiam acerrimo frigore, agebant: illisque carceres publicos, turres, cellas, stabula, haras, opplebant; Ubi fame, siti, squalore, frigore & æstu, necabantur. Plumloviæ in turrim serpentum plenam Joachimus Chirurgus cum aliis conjectus. Prostannæ in stabulum Arcis aliquot centeni simul inclusi sunt, obturatis etiam undiquaque fenestris, ut à compresso Spiritu suffocati, deliquia animi sint passi. Inter alios pro mortuo extractus fuit *Iacobus Vlicky*, octogenarius senex (Kostelecensis, oppiduli ejusdem ditionis incola; cujus filium, *Matthæum Vlicium* Verbi Ministrum Czaslaviæ excarnificatum, titulo LVII retulimus.) Quos simulare mortem impius persequutionis præses, *Kunasch*, ingeminans, resuscitaturum se nebulones dictabat, gelidaque largiter perfundi jussit. Rediêre ad se quidam: senex autem ejus in conspectu exspiravit, quem efferri & humari jussit: reliquis nonnisi

Con-

Confessionem pollicerentur dimissis. Nonnullibi eô barbariei processum erat, ut homines cloacis incluserint, oletorum fætore conficiendos: quos (inter alios) *Nicolaus Szarowetz* Kossumbergi, ut & Slanenses quidam, experti. Litomyslii, & alibi, in eundem locum compingebant simul viros & fæminas; ut vix esset verecundiæ locus.

10. Excogitabant ad acrius excarnificandum, & celerius expugnandum, novas carcerum formas. Exempli gratia; Holessoviæ in Moravia (Drachovio Jesuita statim à recepto in Regem Ferdinando, Anno 1617, reformatore,) confectæ erant caveæ quernæ, quibus inclusi neque cubare, neque sedere, neque stare poterant, præ angustia, sed acclines & incurvi semiflexis genibus, pressoque dorso semipendebant solum. Vix igitur possibile fuit ultra duas tresve horas pressuram hanc tolerare quenquam, nervis nimirum rigescentibus, membris quaquà versum trementibus, animo autem tædio & horrore concidente. Accedebant interim, qui,

num

num voluntarie Catholicam amplexum veniant Religionem? plerique, mendaciis iſtos paſci videntes, affirmabant: ſimpliciores negabant, & retrudebantur ad torturam, donec & ipſi voluntarios ſe eſſe factos mentiti eſſent.

11. Simile quid (carceris ratione) evenit *Iohanni Redero*, Pardubicii (Urbis Regiæ) redituum Quæſtori, quamvis libero homini; qui deſciſcentibus à fide reliquis ſolus perſtabat conſtantiſſime. Sed cum ſe pararet exilio, eô retentus eſt, quod nemo erat qui rationes acciperet; adhibita ſemper fictas ob cauſas dilatione. Deludi ſe bonus vir cernens, & laqueos Satanæ metuens, depoſuit certo loco, cum literis proteſtatoriis, Rationum indices integerrime, & in viciniam (ubi adhuc exercitium Religionis viguit, Brunduſium ad Orlicen, oppidum Dn. Caroli de Zerotin) ſe contulit, Anno 1625. Sed inde aſtutiis retractus, arreſto incluſus eſt, non dimittendus, niſi Religione mutata. Quamvis autem & toleraret vincula patienter, triennio toto, & in-

n exilium ejici ſæpius optaret; hoſtes tamen magis magiſque, ſed lente, conſtantiam ejus expugnatum ibant. Tandem excogitarunt carcerem ſupra aquam: anguſtum quidem illum, non ultra ſeſqui cubitali longitudine, ut procumbens nulla ratione extendere ſe poſſet; ita tamen comparatum, ut, ſi ſe incautius moviſſet, in ſubjectam aquam decidere, & commadefieri poſſet. Erat autem tempus hibernum, & ipſe homo podagricus: & admittebatur nemo, præter Satanæ organa, tentatores ipſos. Hôc igitur torturæ genere per tres dies & noctes excarnificatus, langueſcere cæpit: præſertim accurrente, & ejulatu ipſum obruente, jam pontificia facta, uxore. Aſſenſit igitur ſemidelirans, & in Monaſterium deductus, à Guardiano in Catholicum numerum eſt receptus.

12. Si quô Cõmiſſarii erant miſſi, ne diu traheretur mora, hoc fere ſtratagemate ſunt uſi, ut primariæ authoritatis Viros primum, dolo vel vi, proſternerent, cæteris in exemplum. In oppido Mimon, cum Commiſſarius

(Zden-

(*Zdenko de Kolowrat*) à convocatis totius illius ditionis ſubditis, num Catholici fieri vellent? categoricum vellet reſponſum: & unus eorum, communitatis nomine, liberius *de Religione, cogi eam nec velle, nec poſſe*, diſſereret: ille hunc mox arripi, in omnium conſpectu humi ſterni fuſtigarique præcepit: ſubinde, num vellet, rogitans. Illo ſemper abnuente, etiam cum jam lingua uſum negaret, ſemivivum hinc raptari juſſit cæteris ſpectaculi horrore paventibus docilitatemque, ſi ſibi tempus concedatur, promittentibus. Hermanno-Meſtecii (oppidum eſt prope Chrudam) cum Senatores apoſtaſiæ fier exemplum recuſarent, conjecti ſun in carcerem duriſſimum. Primas aſſeri præacuto (quatuor fulcris ad militum frangendam proterviam erig ſolito: *Aſinum* vocant) in medio forc impoſitus. Qui tametſi ſeniô-confectus erat, tulit tamen ignominiam & ludibrium doloresque, ultra ſex horas: veſperi demum, cum indeſinenter infeſtarent Jeſuitæ inſtigationibus, uxor autem & liberi ejulatibus, an-
nuit,

nuit, & semianimis de cruce sublatus, cum nec pedes nec reliqua membra officium facerent, aliorum manibus ad Confessarium bajulatus fuit.

13. Rogantibus nonnullis nece potius affici, quam ad apostasiam adigi, responsum est; *Cæsarem non eorum sanguinem sitire, sed animarum salutem.* Aliorum tale postulatum risu fuit exceptum: *Eho, martyrii affectas gloriam? Indigni estis nebulones, qui habeatis unde gloriemini.* Ita *Iohanni Polaczko* (Hranicii Moravorum) cum à Commissariis & Jesuitis diversimode ad apostasiam sollicitatus, in genua procidens, manusque complicans, Caput sibi potius auferri, quam conscientiæ vim inferri, obsecraret, responsum fuit. Similiter *Iohanni Eliæ*, Fulnecii: & aliis alibi. Atque hæc fuit verissima causa, (NB) quod in tota hâc tam diuturna Ferdinandiana persequutione non plures ediderit Bohemia, ut & Germania tota, Martyres. Non deerant certe qui pro servanda Christo fide mortem oppetiissent cum gaudio: sed deerant, qui eô nomine mortem inferrent. Animas nimi-

nimirum, non corpora, enecare propoſitum fuit in Satanæ ſchola ad crudeliorem hanc tyrannidem edoctis, Maluerunt itaque lentis & diu continuatis afflictionum modis; in fide langueſcentes & torpidos reddere, quam in fide adhuc perſiſtentibus victoriam, per patientiam, concedere. Illos ſolum cæde afficiebant, de quibus politicæ culpæ prætextus haberi potuit: ut de Pragenſibus illis Martyribus conſtat. *Andreas* itemque *Chebdovius*, ſtudioſus, adoleſcens probus, id expertus eſt; quem cum è patria (Podebradio) redeuntem ad Comitem Turnenſem (cujus ſe dederat miniſteriis) Glacium, comprehendiſſent Dobruſcæ, Hradecii palo acuto infixerunt: fucum facientes populo, quod proditionum internuntius eſſet: cum tamen nihil præter literulas ab amicis ad amicos penes ipſum reperiſſent, nec ullis torturis quidquam extorquere potuiſſent: Anno 1622.

14. Fuit & hoc in hominum conſcientias tyrannicum, in Deum vero blaſphemum, quod è Dei Verbo nemi-

neminem ſe convincere & convertere poſſe videntes, induxerunt tandem animum nullis ex Scriptura probationibus (præſertim erga vulgus promiſcuum) uti, ſed Eccleſiæ authoritate, & vi, ad obſequium cogere. Proinde, ſi qui ad Scripturam provocabant, ſarcaſmos, dicteria, cavilla, audiebant. Imperfectionis eam, obſcuritatis, ambiguitatis, accuſari, hæreſium conſtitui fontem, hæreticorumque aſylum, & ad laicos nulla ratione pertinere, nihil jam erat: *Biblia* noſtrate ſermone *Wyblija* (id eſt, Vomitum) ſceleſtiſſimo ore appellare, & ſic in os ipſiſſimæ Majeſtati Dei inſpuere, blaſphemi homines, non ſunt veriti. Quapropter & eripiebant populo Sacros libros, ut cæci cæcorum duces in tenebris Regnum conſtituere, ſimulque videntes, iſtâ ratione luce privatos, errorum caligini facilius involvere, poſſent.

15. Quidam Nobilium ſubditos ſuos in Templa compulſos, occluſis foribus ad communionem ſub Una cogebant: ut *Severinus Tahlo* in pago *Audercze* (in Pilſnenſi tractu) gladio

eva-

evaginato in Templo graſſabatur, accumbere recuſantibus vulnera infligens, Anno 1628. *Iohannes Adamus Czeyka* in pago ejuſdem tractûs, Nemcitz, fuſtibus poplites ſubtundendo, procidere adigebat: quod ſimiliter à *Wilhelmo de Klenowe*, Rupoviæ Domino, factitatum. Mantinæ accerſitus à Domino ſuo (*Georgio Mitrowsky*) *Iohannes Stepanek*, cum ſe catenis & compedibus vinciendum videret, per feneſtram proſiliit in Caſtelli foſſam, fugâ ſe apoſtaſiæ ſubducere cupiens. Sed is cum ſatellitio inſequutus, vulneratum reduxit, inde Pilſnam incarcerandum, nec niſi religione deſertâ liberandum, miſit. Idem ille Mitrowsky alium hominem ſuum (*Ambroſium Sterpochum*, arte coriarium) ob conſtantiam in Religione toto anno captivum tenuit, ter illi carnificem immiſit, torquerique juſſit, atque ita torturæ doloribus ad Confeſſionem adegit. Tandem dimiſſum, centum inſuper Imperialibus mulctavit. Kneſoveſii ad Slanam Ruſticos in campum profugientes perſequuti ſunt ſtrictis cum gladiis, reductos-

ctosque (partim vulneratos) ut & alios è taberna, subpotos jam, protractos, ad Confessionem & sub Una communionem compellebant. *Baro Kolowratius* etiam (exemplo forsan Smeczanii, cui jam pridem in usu id fuit) communicare renuentium ora, vel admoto sclopeto aperire cogebat: vel paxillo per vim distorqueri, & hostiam ingeri, jubebat.

16. Ronspurgi ad Tustam, & aliis quibusdam in locis, eô proterviæ progressi dicuntur infelices Reformatores, ut nonnullos è plebe Calicem non simpliciter abjurare, sed & humi projectum conspuere & pedibus proturbare cöegerint. Abjurandi alioqui Calicem, & Catholicismum profitendi, hæc usitata fuit formula. *Iuro Deo omnipotenti, Virgini Mariæ, & omnibus Sanctis, me non coactum sed voluntariè, ad Sacrosanctam Catholico-Romanam fidem redire, eamque solam, veram, antiquam, salvificam, confiteor. Calicem abjuro, neque de illo participare volo in æternum: quinimo liberos meos, & qui mea commissi sunt fidei, ab eo dehortabor omnimode. Promitto etiam me in hac Religione*

ligione constanter perseveraturum, diversarumque Religionum homines aversaturum. Ita me juvet Deus, Mater ejus, & omnes Sancti.

17. Quomodo autem se posthâc gesserint Catholici facti, non eôdem modo curatum est. Quidam contenti semel explêsse libidinem in subditis hæreticis, missos faciebant, nec molestârunt denuo: misellis interim illis, sicubi Ministri Euangelici dabatur copia, & deplorantibus lapsum, & communicantibus iterum sub Utraque. Alii vero denuo compellebantur: præsertim ubi subolesiebat eos non ex animo ad Pontificiorum transiisse castra. De quo etiam Cæsarea Commissariorumque edicta prodibant, iterum & tertio compellendos esse. Lanio quidam Coloniæ ad Albim, per vim ad communicandum sub Una adactus, nauseam concepit, vomitavitque ab Altari recedens, & totâ viâ, domum usque. Hoc ubi ad Capitaneum fuit relatum, maledictis in eum invectus, sinere tamen jussit: Satis enim esse, quod obsecundaverit.

18. Si

18. Si qui tyrannici processus metu aliquo profugerant, diuturnum id esse non potuit. Nam, si in silvarum & montium latebras se abdiderant, fames inde propellebat. Si in viciniam aliquo (quamdiu supererant certis locis Euangelici) proditorum omnia plena erant: citabantur mox, aut retrahebantur per milites, vel vim consimilem. Vulgata quoque sunt aliquot vicibus Edicta, ne quisquam hominem profugum domi suæ foveret aut occultaret, sub pœna centum argenteorum. Quod tandem publicato 1628, Martii 3 decreto, ita exacutum fuit, ut *pro singulis noctibus singulos centenos* exponendos sciret, quicunque hoc interdictum violâsset. Quid ergo faceret misella turba? Extra Regnum profugere homunciones alterius linguæ, imo locorum & viarum ignaros, difficile fuit. Et vociferabantur Israelitas terrentes Goliathæ illi, ubique locorum eandem agi, aut certe actum iri, fabulam.

19. Consilii ergo inopiâ ad desperata remedia nõnulli prolapsi sunt: nempe ad seditiones & tumultus, non solum

in crudelem militem, & impoſtores Jeſuitas, ſed etiam in legitimum Magiſtratum arma capeſſentes: ſed diſpari admodum ſucceſſu. Wſetinenſis in Moravia montani tractûs incolæ (Walachi dicti) hucuſque ita ſe armis tutati ſunt, ut non ſolum non adacti fuerint ad apoſtaſiam, ſed ne ſubjugari quidem armis potuerint: fruſtra aliquoties & Germano Italoque milite, & Kozacis Polonis, per montium fauces ad ipſos evertendos perrumpere tentantibus. Unde factum, ut *Alpes* iſtæ *Moravorum* nonnullis è Moravia aſyli inſtar fuerint. Horum (& Auſtriæ ſuperioris Ruſticorum, qui magnis conglobati agminibus multum Cæſari faceſſerant negotii) exemplo, Baronis Terczkii (in Bohemia) ſubditi (Anno 1628, in Martio) ad arma quoque confluxerant, numero circiter quater mille. Sed à ſupervenientibus mox copiis devicti, vario ſupplicii genere affecti ſunt. Similiter in Fridlandico tractu (Anno 1629) in Commiſſarios violenter reformantes ſeditio coorta, (in qua Jeſuita trucidatus, Commiſſarius autem

autem ægre fugâ elapſus) concurſui ad arma è multis plagis, & ad reſiſtendum violentiæ cauſam dedit. Sed mox advolavit Cæſareus miles, Ruſticorum in conflictu multi cæſi, multi capti: quorum duo decollati, totidem quadripartiti, reliqui apoſtaſiâ vitam redemerunnt.

20. Tutiora eorum erant arma, qui ſibi unâ conſtantiâ ſe invictos fore perſuaſerant: quales ex omni Ordine reperti ſunt aliqui. Miniſtrorum quoſdam recenſuimus ante ſuo loco. E Nobilitate unam nominare libet, *Catharinam Ottiam de Loſs* (Teſchobuſii antea Dominam): quæ vulgatâ in viduas quoque Cæſareâ proſcriptione, nec à Religione deſcivit, nec Patriâ emigravit. Urgentibus alterutrum Commiſſariis, reſpondit; *In exilium abire non poſſe, ob ſumptuum defectum: Religionem vero mutare ſibi non licere, ob conſcientiam. Neutrum igitur ſe facturam: ſi quid illi tertium de ſe vellent ſtatuere, permittere id eorundem arbitrio, ſe autem totam Deo.* Fecerunt itaque miſſam: vel pudore victi, vel quod neminem ſolius Religionis nomine è medio tolli

constitutum erat. Ex ordine Civico memoravimus antea nonnullos; quibus hîc adjungi possunt, *Martinus Stransky* Daczicensis, *& Simeon Sirakowsky Crumloviensis, in Moravia, cives:* quorum neuter, nec promissis flecti potuit, nec afflictionibus cedere voluit, mori uterque pro fide paratissimus. Adversarii igitur horum patientiâ victi, è carceribus tandem dimiserunt, libereque in exilium abire siverunt.

21. Memorabile quoque constantiæ exemplum sunt quatuor opifices, in Kossumbergensi reformatione. Cum enim á trecentis forsan subditis, decem solum ad carcerem usque animosi reperti fuissent, factum est ut ex his sex iterum (carcerum duritiem, frigora, famem, ferre nequeuntes) desciverint: quatuor autem (*Sigismundus Hrussowsky, Nicolaus Szarowetz, Iohannes Aksamit, & Laurentius Karljk*) manu tyrannorum excarnificandi relinquerentur. Hos igitur post multam & quotidianam duritiei exprobrationem, primum hebdomadas quinque (atque id mense Februario & Martio)

fri-

frigore excruciant: per novem inde dies fame, nullâ panis micâ ſuppeditatâ. Sed erat illis tamen panis portiuncula, quâ per id tempus & propriæ urinæ potu, ſeſe ſuſtentabant. Ingreſſus cum Arcis præfecto Jeſuita, longè duriora, nî reſipiſcerent, multis verbis minatus eſt. Cui Sigiſmundus; *Omnia acceptamus, ſive famem, ſive funem, ſive rogum, potius quam peccemus in Deum.* Egredienteſque acclamavit: *Quod facitis, facite cito.* Mandatum inde fuit, nonniſi bis de hebdomade panis bucceam, & aquæ hauſtum præberi. Tum disjuncti ſunt ab invicem: Akſamito ibidem relicto, Nicolao in cloacam (ſalvo honore), Sigiſmundo in Caminum quendam, contruſo; neminique ſuorum ad ipſos permiſſo aditu. Tandem cum 21 hebdomadibus omnia circa illos tentâſſent, deſperatâ eorum converſione pecuniâ mulctârunt & proſcripſerunt; qui cum gaudio ſua derelinquentes, in Poloniam abiêre: Karlik tamen morbo carceribus contracto, intra patriæ adhuc fines, exſpiravit.

22. Sed meliori etiam jure iis constantiæ (quidnî & martyrii?) laudem tribuemus, qui Carceres ad acerbissimam usque mortem tolerârunt. Qualis ante universalem hanc persequutionem fuit *Iohannes Burjan Kochowetz*, Vir honestissimus & literatus, quem Principissa de Lobkowitz, eô solum quod ad placitum ejus superstitionibus Papalibus subscribere nollet, in vincula conjecerat: quæ ille, à Monachis & Jesuitis, perpetua infestatus, fortiter totum triennium sustinuit. Quibus in vinculis mortuus deinde, ignominiose, prope supplicii locum sepultus est, ad Raudniciam.

23. Erat item in Litomyslena reformatione Rusticus, è pago Strakow (nomen mihi relatum fuit, sed nescio quomodo periit) qui longissimis carceribus, sacrificulorumque insultibus jactatus, è ter mille subditis (tot enim dynastia illa habet) solus tam constans repertus fuit, ut dimoveri non potuerit. Contracto è carceris squalore morbo, cum à Jesuita adhuc viseretur, & admoneretur, respondit:

Abi-

Abi jam tentator, mihi hodie cum Christo cœnandum est. Paulo post exspiravit, & in loco ubi malefici decollari solent, sepultus.

24. Mirabilior adhuc fuit constantia Scribæ cujusdam (non erat hâc vice, qui nomen doceret: res ipsa alioqui fide dignorum testium relatione ad nos pervenit) in oppido Dobrzisse. Hoc Oppidum (ut & ejus viciniæ multa) cum Cæsaris dono accepisset Don Martin de Huerda, ille tam duri Domini servitia declinans, resignavit, & apud quendam Molitorem (in Suticensium territorio) pædagogi munere functus est. Id ubi rescivit Don Martin, misit qui Scribam cum Molitore ligatos catenis in arcem Welhartitz traducerent, jussitque in profundissimam Arcis turrim utrumque conjici: Anno 1623, die Mercurii post Lætare. Unde Molitor quidem paulo post dimissus, Scriba vero anno ibidem integro ad mortem usque perduravit. Tam teter fuit carcer, ut ambo ejus pedes putredine absumpti fuerint; ille tamen tantâ præditus fide, ut veluti inter delicias Psalmos

& hymnos cantillando, tempus illud tranſmitteret. Et memorabile eſt, cum paulo ante mortem pedibus ſe jam deſtitui, & vermibus ſcatere indicaſſet, Don Martin fidem dicto non habens extrahi eum videndi causâ juberet: noluit ille, *Indignum eſſe tyrannum dictitans, qui corporis ejus aſpectu fruatur.* Obiit igitur indiſſolubiliter Chriſto adhærens, Anno 1624 vertente, ſimiliter die Mercurii poſt Lætare. Quem Tyrannus extractum, per Arcis portam, qua ipſe intrabat, efferri vetuit ſed per murum in foſſam dejici, indeque ab Opilione auferri & terra obrui, mandavit.

CAP. CIV.

Georgius Balthaſar Martyr.

APpendix tituli præcedentis (quomodo plebem tractaverint Perſequutores) erit hiſtoria ad poſteritatem memorabilis hæc. Anno 1629, Maji 5, adducti ſunt 22 captivi Ruſtici è

ci è pago Zlonice, in Urbem Slanam, lætissima voce triumphales de Resurrectione Christi hymnos decantantes. Culpæ illis dabatur, quod antea Catholici facti, ad hæresin rediissent, & ipsi inter se sacra sibi ministrassent. Distributi per carceres, vario examini mox subjecti sunt. Antesignanus horum dicebatur esse quidam *Georgius Balthasar*, pagi Tmani incola; qui literarum ignarus, tamen se concionatorem illis objiceret. Hunc igitur ipse Dominus ejus, *Bohuchwal Walkaun*, jam pridem apostata (ne quid Cæsareæ iræ aut malæ suspicionis in se derivaret) scripto ad Senatum Slanensem dato accusabat, justitiam in homine rebelli administrari petens. Hoc scriptum, accersito homuncione illo, prælegi ab Advocato jubet Senatus, & quid respondeat, quærit. Ille moram poscit, & scripto se responsurum promittit. Copia igitur sibi amanuensis facta, tale dictat responsum; quod ex Bohemico ad verbum sic reddidimus.

Quæ sit criminatio à Iacobo Swojanovio, nomine Generosi Bohuchwali Wal-

kauni, contra me directa, intellexi. Primus articulus est, me Deo creatori meo & propriæ meæ obligationi perfidum esse: in eo quod Catholicus factus, rursum à fide Romano-Catholica defecerim, juramentumque meum violaverim. Ad hunc respondeo; me olim durissimo carcere, ut in Deum justissimum Iudicem meum peccarem, adductum & adactum fuisse: quia fide tum infirmus fui, non confidens Deo, quod ille potens sit è manu hominum eripere suos. Sed ob hoc delictum meum castigavit me Deus, toto anno captivam tenens conscientiam meam, ut nullam misericordiæ Dei spem habere possem. Reducebam tamen mihi in memoriam pristinos peccatores, qui misericordiam apud Deum obtinuerunt per pænitentiam. Clamabam igitur ad Deum meum toto anno, noctes & dies, lacrymisque stratum meum rigabam: quia damnatum me sentiebam. Deus autem ille verax & justus, qui non est causa interitûs nostri, nec vult peccatorem mori, sed ut convertatur & vivat, cum vidisset opportunum tempus, non abscondit à me misericordiam suam. Quod enim oravi, obtinui: misit ad me Angelum suum, & oculi mei viderunt splendorem ejus lucidiorem

rem Sole. Et datus eſt mihi in momento Spiritus Sanctus, & regenitus ſum: & conceſſa eſt mihi Spirituum diſcretio, ut dignoſcam bonum & malum; & cum hac donatione magna, ſimul accepi mandatum arguendi peccata hominum. Nec falſus ſum: nam Spiritus Sanctus ſeſe non occultat apud quenquam, cui datus eſt, ne futura annuntiet impiis, reſipiſcentibus autem miſericordiam. Ideo & inhibitio mihi facta eſt à Spiritu, ne amplius carnis opera exerceam, juxta concupiſcentias Mundi, quæ conſpirârunt, ut pugnent adverſus juſtum Iudicem vivorum & mortuorum, & adverſus unctos ejus, quos ſibi elegit. Neque hoc Dn. Walkaunum latet. Impediebant enim me Veritatem loqui jam à quadriennio: ſed quô magis illi impediebant, eô magis confirmabat me Deus Spiritu ſuo. Pariter & hoc recordari poſſunt, me in Arcem Zlonicenſem, ut eis annuntiarem Veritatem, veniſſe, eoſque ad pœnitentiam invitaſſe, prout mihi præceperat Dominus IESVS per Spiritum S. idque triduo continuo, Veneris, Sabbati & Solis die; quâ poſtremâ die & librum habebam mecum: (Vbi autem tangit, me ſeductorem eſſe animarum, reſpondeo

& asſevero, voluntatem certam eſſe Domini IESV, ut me Vos quoque omnes audiatis): neque tamen tam fortes erant, ut librum eriperent de manu mea: nihilominus tamen aſpernati ſunt gloriam Dei. Debui enim docere omnes, quomodo poſſent pœnitentiam agere. Habuerunt autem datum ſibi ſignum, cum tres illi Spirituales à me abirent, ſignum de Cœlo à me petentes (ſed non habent excuſationem, libros enim manibus tenebant.) Ego autem flevi magno fletu, quod non receperint unctum Dei. Quod tamen nihil mirum eſt: quandoquidem ab initio Mundi perſequuti ſunt eos, qui ex Deo regeniti bona opera operari voluerunt. Ita & mihi evenire neceſſe eſt, ut agnoſcat quilibet Mundum odio habere Veritatem: quia in ipſo non eſt Veritas, & ut pateat Mundum eſſe hoſtem Dei. Ideo me nihil abſterrere poteſt, neo mihi ullius rei eſt reſpectus, quin faciam officium, quod mihi committere dignatus eſt Deus, alacriter. Volo igitur à Vobis ſcire, qui è terra facti eſtis, maſſa lutèaque ut ego, quem mihi oſtendetis locum, ut Vos libere doceam, ſine prepedimento. Si hoc renueritis, erit tempus quo commonſtrare mihi cupereti locum, ſed quem ipſi

non habebitis. Quocirca adhuc Vos exhortatione Dei hortor ne gratiam Dei in vanum assumatis, neque spernatis eam. Nam virga Dei jam ligata est, quam propediem infliget Deus iis, qui non agnoscunt vocem Dei. Plura mihi ad Vos scribenda forent: sed cum ipse scribere nesciam, aliorum vero mihi ob operas cujusque habenda sit ratio, breviter concludo. Quando Vobiscum oretenus loquar, distinctius explanabo singula. Interea Domini DEI nostri gratia sit cum omnibus nobis, Amen.

2. Hæc Epistola cum inusitato stylo concepta videretur, adibant eum (aliis tamen aditu negato in universum) Pastor loci, & advenæ Jesuitæ, oretenus cum illo conferentes, & de proposito dehortantes varie. Ille vero de constantia nihil remittens, se quidem laicum esse, & literas nescire, fateri: quæcunque tamen prædicasset, vel adhuc prædicaturus esset, ea non à seipso habere, sed à Spiritu Sancto. Ita enim est, inquiebat, ut nuper scripsi, & toties dixi, me post abominabilem illum meum lapsum, fletu & lacrymis consumsisse annum integrum. Tandem vero misertus mei Dominus

JESUS,

JESUS, oſtendit mihi vulnera ſua, quibus conſcientiæ meæ vulnus momento ſanatum eſt. Addidit vero mihi illuminationem Spiritûs ſui, & præcepit ut aliis annuntiem factam mihi gratiam, atque ad pœnitentiam exhorter. Id quod toto hoc quadriennio feci, faciamque quam diu vitâ frui dabitur. Scio quidem impium mundum id agere, ut mihi eripiat vitam: ſed ego paratus ſum mori, quia morte meâ glorificabo Chriſtum, &c. Narrabat etiam, cum in carcere Zlonicenſi ardenter Deum invocaſſet, Spiritum S. reſpondiſſe ſibi in corde ſuo, & loquutum magnalia, quæ effari non liceat. Item, raptum ſe fuiſſe in ſublime, ſupra omnes Mundi hujus poteſtates, ne quis eſſet qui prævalere ſibi poſſet, &c. Hæc omnia ut prius vulgo, ita in carcere Jeſuitis ipſis, enarravit. Si deſcenſum fuit ad controverſias, *de Cœna Domini*, *de Uno Mediatore Chriſto*, &c. appoſite citabat Scripturas, & urgebat valide. Pœnas quoque denuntiabat perſequutoribus populi Dei, ut & animarum ſeductoribus, Sacrificu-

lis;

lis; reductionem item & congregationem dispersi à lupis gregis Christi prædicebat, &c.

3. In summa, cum omnia ejus vividiorem spirarent Spiritum, quam cui resistendo essent, Pragam eum 10 Augusti deduci curârunt, & 14 ejusdem supplicio affecerunt: idque processu tali, qui cauteriatæ Conscientiæ indicium erat. Nam antelucano tempore, clam populo, productum, extra portas ad patibulum decollari & quadrifindi jusserunt, partibus ad spectaculum, tanquam facinorosi alicujus malefici, per vias publicas dispositis.

CAP. CV.

Qualem in Templa, Libros, Mortuos, furorem exercuerint Adversarii.

NOn absque ratione summa Antichristi regnum, sub imagine Bestiæ exhibitum fuisse Johanni, credimus:

mus: reipsâ vero id oculis patet, si truculentiam Bestiæ illius adversus vivos & mortuos, & in omnia obvia rabiem, contemplamur. Attingendum igitur adhuc est, quam varie in res inanimas, *Templa*, *Libros*, *Suggesta*, *Imagines*, *Sepulchra & Ossa demortuorum*, rabiem effuderint.

2. Templa quod attinet, nihil necessum est memorare, quomodo lustrali suâ aquâ ab hæresi ea expiârint: (consuetâ scilicet superstitione iis, quibus Sanctificatio per Verbum Dei & precationem, quam Spiritus sanctus Christianos 1. Timoth. 4. 5. docuit, non facit satis. Hoc ridiculum fuit plebi, prudentibus autem virulentiæ in Verbum Christi documentum insigne: quod Templorum *Suggesta*, unde vox Euangelii sonabat; & *Altaria*, unde Eucharistia sub Utraque distribuebatur, *Virgis & Flagris*, velut insanientes, cædebant: quod maxime in Urbibus præcipuis, *Pragæ*, *Iglaviæ*, *Znoimæ*, &c. stolide factitatum est. Pragæ etiam Jesuitæ suum lustraturi Templum, (quod Fratrum usui sub Friderico concessum erat) pul-

verem

verem pyrium toto pavimento ſparſerunt, accenderuntque, hæreſeos contagionem fumo & flammâ exterminaturi.

3 Et quia pleriſque omnibus per Bohemiam Templis, Turribus, Civitatumque Portis (in memoriam gladio propugnatæ ſub Utraque Religionis) erecti erant Calices, lapidei vel æneì, hos quaquâ verſus ſublatum ibant. Pragæ in ſummo Templi ad lætam Curiam ſcuto, deauratus Calix ingenti capacitate, Anno 1623, Januarii 23, demptus fuit, ejuſque loco Mariæ ſtatua erecta: loco autem aſſidentis ibi cum gladio, Calicis vindice, Georgii Regis, Ferdinandi gladio adverſus hæreticos armati, imago, poſita. Hradecii, ſupra portam ædis Antonianæ deleto Calice, Monſtrantiam appinxerunt, & ſub ea everſum Calicem, cum profluente tetro craſſamine, cui adſcriptum fuit; *Ebiberunt & feces*. Superliminari vero Januæ inſignem hanc impoſuerunt aureis literis gnomen: *Domus mea domus precationis eſt, non tua ſordidiſſime Calvine*. Litomericii Huſſi & Hieronymi

nymi antiquiſſimas Imagines Templo exportârunt, & combuſſerunt; denuo in ſanctos Martyres rabiem exerentes.

4. *In Libros quomodo graſſati ſint*, jam ubique forſan, vel famâ innotuit. Milleni Bibliorum codices (ut alios bonos Libros taceam) ab hiſce furiis aboliti ſunt: ut ſcilicet Antichriſtus Antiocho nullâ parte ſe inferiorem demonſtraret (1. Machab. 1. 59.) Supplicium quidem commune fuit omniũ fere Librorum, ignis: (ſolus, quod ſciamus, Comes de Nachod, perverſiſſimus apoſtata, ſuos ſacros libros, ſerico prius & auro obductos (ſumptuoſus enim & pompoſus hîc etiam fuit) ſolo auro & argento detracto cloacis ſepeliri, ſe præſente, juſſit.) ſed proceſſus fuit diverſus. Quidam libros Euangelicis ereptos, clam, domi, comburebant, Joakimi illius modeſtiam imitati (Jerem. 36. 23.) Alii in forum Urbis corbibus exportatos, (ut Fulnecæ factum) alii vehibus extra mœnia devectos (ut Zatecii, Trutnoviæ, &c.): alii item ad patibula & maleficorum ſuppliciis deſtinata loca, (ut Hradecii) congeſtos,

ſtos, ingentibus ſtruibus igne ſubjecto cremârunt. Sed videritis, ò boni, ne horum inanimatorum Martyrum innocens per cælum & terram diſperſus cinis, quam abolitam vultis doctrinam, eô latius ſpargat!

5. Immemores adverſarii illius Ovidiani:

Corpora magnanimo ſatis eſt proſtrâſſe Leoni,
Pugna ſuum finem cum jacet hoſtis habet;
At Lupus, & turpes inſtant morientibus Vrſi, &c.

Lupinam illam & urſinam feritatem imitati, in mortuos etiam ſævire, glorioſum ſibi duxerunt. Mira certe beſtialitas, Vivos ſupra terram, Mortuos infra terram, ferre non poſſe! Plurima ſunt exempla, quos ſepulchris erutos, vel disjecerunt, vel combuſſerunt. Horaſdovicii, (Anno 1621) reddito Monachis, quod Fratres Bohemi multo tempore poſſederant, Monaſterio, ſepulchra Miniſtrorum Verbi aperta ſunt: & primum exempta *Iacobi Wel ky*, (nomine & re magni Viri, ſepulti an-

no 1600) ossa: quæ *Severinus Dudecius*, Guardianus, vecte ferreo, maledicis adhibitis verbis, frustillatim contudit; & deinde cum ossibus *Iohannis Popelii*, *Iohannis Iapheti*, & *Matthiæ Chobari* (Anno 1599; 1614 & 1616, sepultorum) in Cœmiterio comburi jussit. Quia vero in eôdem Templo sepeliebantur Barones *Schwihovii*, loci Domini, horum quoque sepulchra impius Guardianus visitans, annulos, torques, & quicquid pretiosum fuit, corporibus detraxit; postremum autem sepulti *Theobaldi Schwihovii* (Consistorii sub Utraque & Academiæ nuper Defensoris) corpus è crypta protractum, stanneo loculo exemptum, & ligneæ arcæ impositum, in cœmiterii quandam scrobem projici, ac rudere ædificii (Monasterium restaurans) obrui jussit.

6. Anno 1623, erepto Czaslaviæ Euangelicis Templo, cum Epitaphium reperissent hujusce inscriptionis: *Anno 1424, die Iovis ante festum Galli, vitâ functus est Iohannes Ziska à Calice, Rector Rerumpublicarum laborantium in nomine & pro nomine Dei, hoc loco con-*

conditus est: admoverunt mox manus, ut per ducentos (uno minus) annos quiescentem inde exturbarent. Sed profundissime fodientes, nihil præter pulverem invenerunt. Rabie igitur in lapidem sepulchri (quô ejus effigies olim exsculpta, jam autem obtrita fuit) conversâ, hunc ipsum contuderunt, atque cum sepulchri pulvere è Templo ejectum in arenam redegerunt: ita scilicet de mortuo, qui vivus vivos turbaverat, vindictam sumentes.

7. Eôdem anno, cum Pragensia Templa à sepultis ibidem hæreticis expurgarent, *Rokyzani sepulchro* impositum lapidem marmoreum extulerunt quidem, & minutatim conciderunt; sepulchrum tamen reperire non potuerunt. Anno demum 1630, cum P. Lucas Jesuita, ejus Ædis prædicator (24 Septembris) diem suum obiisset, & in eo ipsô loco profundissimum ei sepulchrum pararetur, inventum est in profundo lateritium quoddam stratum: quô eruto, apparuêre cariosa ossa, cum duo-

bus

bus calicibus, altero æneo, altero cereo incorrupto: & particula panni Damasceni, Sacerdotalis casulæ reliquiæ. Cranio adhærebant oblongi capilli, rufi, &c. Collecta hæc ossa in sportam Sacrario intulerunt, donec quid de illis statuissent superiores, cognosceretur. Quid vero actum postea cum illis fuerit, non innotuit: sed quod narramus, ab oculato teste relatum est. Ita Rokyzanus post centum quinquaginta novem annos, & menses septem (obierat enim 1471, Februarii 21) sepulchro suo alteri cessit.

8. Treboviæ Moravorum exstabant in cœmiterio demortuorum aliquot Pastorum lapideæ statuæ: quibus Jesuita, malleo & cælo adhibito, oculos excavabat cœcos cæcus ipse excæcans.

9. At non in solos jam sepultos horum grassabatur furor, in sepeliendos etiam sævierunt. Tacebo quod honestam in Cœmiteriis sepulturam invidentes, per agros, hortos, compita, quin & in facinorosorum suppliciis destinata loca, sepeliri adigebant: hoc

hoc certe nimis barbarum fuit, quod nonnullos domo etiam efferri, & communi matri, Terrę, reddi, omnino prohibuerint: eô solum fine, ut in obdormientes in Christo odium adhuc evomerent, vivos autem cadaverum fætore enecatos à constantiæ imitatione deterrerent. Contigit id Viro piissimo, *Iohanni Matthiadæ Nusleno*, Kuttebergæ ad S. Barbaram Ecclesiastæ: quem domi suæ vitâ functum (Anno 1625, Octobris 4, cum ab exilio clam reversus decesserat) Archidecanus Appianus funerari in universum prohibuit, nullâ se vel prece vel pretio emoliri passus. Tandem, post octiduum Viri aliquot boni furtim de nocte sublatum cadaver, certo quôdam loco sepeliverunt; frustrà Beliale isto in tanti sceleris authores inquirente, & capitis pœnam minitante. Nam & paulo post (30 Octobris) in alio, quem Paschur ille ob baptizatum ante alibi filiolum simili contumeliâ afficiebat (*Adamo Howorka*, bibliopego) idem charitatis exemplum, invito illo, & tantum non præ malitia medio crepante, editum est.

10. Plu-

10. Plura impietatis exempla proferre quid juvat? Utinam horum frontibus liceret inſcribere, quod Semiramis loculo ſuo inſcribi juſſiſſe fertur! *Si vir improbus non eſſes, mortuorum quietem non turbares.*

11. Non abs re tamen forſan fuerit attingi etiam, quomodo in ipſum FRIDERICI nomen (odio nimirum piiſſimi Principis, qui Euangelicis Euangelicus Rex datus erat) rabiem ſuam exercuerint. Anno 1622 Neo-Pragenſis Civis, *M. Iohannes Libertinus*, quod filiolo indidiſſet nomen Friderici, primum ab introducto numeroſo milite licentioſe divexatus, mulctæ inſuper loco 500 thaleros numerare juſſus eſt. Imagines verò Friderici diſcerpi, proculcari, oculos eis effodi, eos vero apud quos repertæ, ignominioſe tractari, creberrimum fuit: ut pene cogitare Fridericum capitale eſſet.

CAP. CVI.

Exempla Prodigiorum & Pœnarum, quibus Deus hostes exterruit aliquoties.

TAntum hunc persequutionis & apostasiarum turbinem boni quidem deplorare poterant, sistere autem præter Deum nemo. Qui tametsi Ecclesiæ suæ castigatores excitat, illos tamen ipsos proterve agentes, & modum crudelitatis excedentes, paterne primum præmonere, incorrigibiles autem ad pœnam rapere (variis utrumque id modis) consuevit. Attingemus etiam quædam ejus generis.

2. Primi præmonitus erant, *Prodigia varia*, cælo & terrâ exhibita. Exempli gratiâ, miraculosus ille in cælo, sub Exsequutionis horam Pragæ omnibus conspectus, Arcus. Ternus item, antequam exsequutionis esset finis, in populo spectante obortus terror, ut è foro in plateas, nemine

insectante, aut ullam notante causam, agminatim diffugerint. Circa Martyrum ex illa turri exporrecta capita faces ardentes noctu fuisse conspectas, & cantum auditum, erant inter excubitores qui asseveranter asseverârint: à nobis tamen, quia oculatus testis nullus obvenit, in suspenso id relinquitur. Hoc certum, sequente anno diversis vicibus plures Soles conspectos. Solem itemque globos quosdam ejaculari à magna populi Pragensis multitudine visum esse.

5. Anno 1623 distinctis vicibus è fastigiis turrium primarii Euangelicorum Templi (ad lætam Curiam) fumus crassissimus prodibat, ut homines à concepto intus igne provenire arbitrati, incendium restincturi accurrerent. Sed interioribus Turrium lustratis, nihil erat. Jesuitæ miraculum aliquoties iteratum, quod negare non poterant, pro se interpretabantur: *hæreseôn reliquias fumigare, & in auras evolare*, dictitantes.

4. Eôdem anno, cum die corporis Christi prima Kuttebergæ solennis illa numinis panacei circumgestatio, cum tuba-

tubarum, tympanorum, fidium, bombardarum, &c. ſtrepitu, celebraretur, Cœli compactis ſubito nubibus tantam effuderunt aquarum eluviem, ut intra mediam horam per plateas mercatorum tabernæ, currus, & alia ponderoſa, obnatarent: cum intermixta tanta grandine, ut non ſolum Templorum & domorum feneſtræ confractæ, ſed & in campo deprehenſæ oves, in ſylvis autem feræ, proſtratæ, vulneratæ, pars & occiſæ, fuerint.

5. Anno 1624, in autumno, per totam Bohemiam & Sileſiam conſpectus eſt Draco volans, horrendum ſcintillans. Miraculo autem non caruiſſe, inde colligitur, quod eâdem die & horâ (prope Solis occaſum) in tot diverſis & tam remotis locis, obſervatus fuerat, ut vix haberi potuiſſet fides, niſi millenis teſtibus ubique exſtantibus.

6. Eôdem anno ad Podiebradam ſanguis, ruptâ propè publicam viam ſcaturigine, Menſe integro promanabat: quò rubricæ inſtar uſi quidam, rei geſtæ hiſtoriam, hôc ipſo liquore

ſcriptam, in futuram rei fidem deſcripſerunt. Nec prætereundum fortaſſis etiam, quod eôdem anno hi oculi viderunt. Portæ Civitatis Chrudim appicta erant, Friderico regnante, Regis & Reginæ inſignia, cum diſticho quodam aureis literis adſcripto. Hæc à Cæſaris victoria calce ad minimum ter obducta ſunt: reliquis quidem obliteratis manentibus, ſolum FRIDERICI nomen ſingulis vicibus ita rurſum prominuit, ut ab omnibus legi poſſet.

7. Sequente anno 1625, prope *Beneſſow* (in teritorio tunc *Pauli Michna*) piſcina tota in ſanguinem fuit verſa, per triduum: ut & aliis temporibus alibi. In Moraviæ autem & Sileſiæ confiniis circumvolârunt numeroſi Cornicum & Monedularum greges: quæ tandem ad pagum *Bartoſchowitz*, prope Fulnekam, commiſsâ pugna (quæ totum diem duravit) ingentem paſſæ ſunt cladem; & quidem alio longe quam ſperari potuiſſet, eventu. Infirmior enim pars robuſtiori prævaluit; Cornicum aliquot mille confixæ Monedularum roſtris, deciderunt: harum

harum vix ulla. Rustici enim spectaculo accurrentes, totos saccos cornicibus implebant.

8. Anno 1626 Pragæ sulfur pluit: nec longe post imago Crucifixi, ad Wultavæ pontem erecta, fulmine icta & convulsa est. Ibidem Kuttebergensis porta, remotis postibus à se ipsa patuit, duabus vel tribus noctibus, cum excubantium militum stupore: quod juramentis firmare jussi fuerunt. Quale portentum Prostannæ quoque (in Principis Lichtensteinii urbe) visum est.

9. Non immerito quoque inter miracula referetur, quod Zateci libris sacris accidisse scimus: nempe quod exuri non potuerint. Cum enim Anno 1630, Libri jam pridem è Civitate illa & toto Districtu comportati, Commissariorum sententia ad ignem fuissent condemnati, & extra mœnia in colle ad aquæductum compositis struibus accensi: absumptis cæteris, *Biblia Sacra* (Simeonis Swobodæ) solis marginibus aliquantum flamma ambesis, remanserunt: ut & alter, *Cantionum Eclesiasticarum* vetustæ edi-

tionis, liber. Quorum uterque ab Exulibus Zatecensibus Friburgæ Misniorum, in rei memoriam asservatur.

10. Aliquoties etiam scelerum ultor Deus, in recenti quorundam flagitio iræ & furoris edidit signum. Multi apostatarum conscientiæ acti stimulis, damnatos se esse clamitabant; quidam conscientiæ cruciatum non ferentes, in laqueos & puteos se præcipitârunt; ut inter alios opulentissimus ille Pragensis mercator Belga, *Hans de Wite*; *Iohannes Campanus*, Poëta ille celebris, (qui cum Religione mutatâ ad uxorem dixisset, *Hodie salus facta est domui nostræ*: illa respondit, *Hodie maledictio in domum nostram introducta est*;) desperabundus vitam finiit. *Daniel Basilius*, I. V. D. Pragensisque Academiæ Professor, subitaneâ morte exstinctus. *Slawkowiæ* in Moravia Pastor, *Iohannes Chytræus*, recantaturus in Templo Euangelii doctrinam, obmutuit: indeque domum, totus tremens & linguam præmordens, deductus, occultis doloribus internectus est.

11. *Da-*

11. *Doctor Daniel Kapper*, ſub juris titulo injuriarum in Euangelicos Profeſſor publicus, uxoris ſuæ adulteræ (quæ poſt capitis ſubiit pœnam) ſubornatione trucidatus, periit. *Thomas Hrich*, ob exhibitum aliis apoſtaſiæ exemplum *Rokyzani* Conſul creatus, nondum anno elapſo, eâ ipsâ die, quâ ante annum Pilſnæ communicaverat (Michaëlis feſto) ut alter Draco & fratrum ſuorum accuſator de ſuperbiæ ſolio dejectus, impiam animam cum ſanguine evomuit.

12. *Adamus Sufficenſis* Primas, tam rabide univerſalis apoſtaſiæ negotium in Patria promovit, ut nullo etiam conſanguineorum habito reſpectu jactaret, ſi pater ſuus reſurgeret, non ſe illi parciturum. Hic juſto Dei judicio furore correptus, in ſuperiorem domûs ſuæ contignationem profugiens, ibi ſe proſtravit, & varie, horrendum mugiens, hûc illûc jactavit. Cum noverca accurrens peccati admoneret, *Mi Adame*, inquiens, *recordare quid egeris*, *da gloriam Deo*, *loquere*, *ora*: ille nil niſi ora diſtorquens, & linguam ad ſtupo-

rem progerens, animam exhalavit.

13. *Florianus Libochovius*, Ditionis Horazdoviensis Regens, apostata perversus, civium proditor, seipsum sclopeti glande trajecit. Czaslaviæ civis quidam, sed homo levis, *Hodina*, præmii aut dignitatis spe, tam operosum se in effodiendo Ziska exhibuit, (lingua interim maledica egregie in mortuum heroa debacchatus) ut aliquot diebus post exspirarit; vel quod se labore fregisset, vel peculiari divina nemesi.

14. In deformandis Litomerzicii Templis novus quidam Æditiuus, homo improbus & audax, lapideum Calicem supra Januam Laurentianæ ædis, fodicando excavavit: post divino judicio in tetrum incidit morbum. Seipsum enim impietatis accusans, vestes de corpore laceravit, capillos evulsit, uxorem nec alium quenquam appropinquare passus: quanquam nec ob horrorem & fætorem accedere cuiquam licuit. Tandem postquam impio gutture incredibilem sanguinis vim eructasset, proprio sanguine, sanguinis Christi hostis suffo-

ſuffocatus periit. Hoc cum univerſæ innotuiſſet Urbi, in alterius Templi (Omnium Sanctorum) aditu Calicem marmoreum deauratum (Anno 1485 in turris majoris pariete poſitum, ſed nuper renovatum) cum inſcriptione *VERITAS VINCIT*, nemo hominum, ne faber quidem murarius, Pontificius licet, recenti exterritus exemplo, tangere voluit. Maleficum ergo è carcere evocatum vitæ promiſſione ad hunc muro eximendum, & confringendum, induxerunt. Fecit is vitæ præmio: ſed paucos poſt dies Auſtii iterum captus, & rotæ ſupplicio affectus fuit.

15. *Tobias Konig*, Trutnoviæ Conſul, truculentus apoſtata, fideliumque Religioni conſtanter adhærentium tortor, Anno 1629 morbo quodam correptus, & carbonis inſtar nigreſcens, latratum canino ſimilem, pro ſermone edebat: triduanumque ita factus ſpectaculum inter tetros dolores animam exſpuit.

16. *Georgius Kunaſz*, ditionum Principis de Lichtenſtein in Moravia præfectus, cum pridie Natalitiorum Chri-

ſti decurrente Anno 1627) cum Jeſuitis in Curia Proſtannenſi totam diem commoratus pleroſque Civium ad apoſtaſiam (ipſe quidem nondum eam profeſſus, ſed promiſſione mille aureorum ad flagellandos Confratres inductus) adegiſſet, & reliquos per carcerem diſtribuiſſet, poſt lautiſſimam Cœnam in Arcem Plumloviam (uno ab Urbe lapide diſtantem) multa nocte rediit, & bene potus indormiit. Quia tamen ad ſacrum nocturnum celebrandum excitari ſe juſſerat, tam bene geſtæ rei ſcilicet triumphos acturus: factum eſt ut aliquoties è ſomno (uxore poſt referente) ſeſe proripuerit, jam ſe alibi campanarum pulſum audire ratus. Præveniri tandem metuens, ſurgit, ad vallum Arcis properat, libratoremque ſeptem grandes machinas diſplodi jubet. Octavam exoneraturus ipſe, perticam prehendit, & ignem admovet. Sed eheu horrendum Dei judicium! Tormentum diſſilit, fruſta retrorſum in ipſum incenſorem acta, utrumque illi crus, utrumque femor, alterum brachium, & alterum latus conterunt, tandem-

que

que capitis auferunt cranium. Hanc
ì divina nemesi proditionis & tyran-
idis mercedem accepit infelix homo,
Auxit vero miraculum, quod nemo
dstantium (quorum tamen quatuor-
decim erant) tactus, nemo læsus fue-
it: excepto Venatore quodam ve-
ulo, quem (cætera illæsum) extra
nurum proturbavit, horrendis exci-
piendum in profundo scopulis, si
excidisset. Sed cingulum palo cuidam
gerris impacto (ad corbem protecto-
ium, terra oppletum, quem Schanzkorb
vocant) inhærens, pendentem reti-
nuit, donec auxilium inclamans, à
præsentibus retractus & salvatus fuis-
set: ut ille post Principi ipsemet retu-
it, & privilegium ab eodem, ne re-
igionem mutare cogetur, impetra-
vit. Evidens certe hoc fuit divinæ ul-
ionis exemplum; sed quod æque ut
cætera obcæcati homines non divinæ
directioni, sed cæco casui, attri-
buerunt.

17. *Georgius de Nachod.* Fratrum in
Moravia ab ineunte ætate auditor, &
Patronus, post (ex Nobili Comes
factus) apostata perversissimus (quem
Libros

Libros ſacros fætidis Cloacis ſepeliviſſe Capite proxime præcedente memoravimus) miraculoſe à Deo morbo quôdam gutturis tetro punitus fuit. Quo & lingua illi computruit, & foramina aliquot infra mentum eroſa: ut quicquid alimentorum aut medicamentorum ingereretur, vel mox effluerct, vel ſenſim exſtillaret. Fruſtra igitur adhibitis remediis omnibus, poſt unius & alterius menſis cruciatus animam illam leviſſimam, & pro honorum fumo Antichriſto venalem, exhalavit.

18. Niclaſpurgi, in Cardinalis Dietrichſteinii, Moraviæ Gubernatoris, Arce (Anno 1626) audita eſt duabus ante diluculum horis, vox quædam acuta, *Væ*, *Væ*, *Væ*, ingeminans. Excitati voce hâc plerique (Scribæ in Cancellaria ad operas ſuas jam ſurrexerant) & rei novitate attoniti, iterum, & tertio, & quarto, voces iſtas audiunt. Et quia ſub tectorum faſtigiis vox ſonare viſa eſt, aſcendunt cum lucernis, quid rei ſit cogn ituri. Audiunt vero eaſdem voces(jam Germanice Weh/ weh/ weh: jam Bohe-

Bohemicè, *Beda*, *Beda*, *Beda*) infinities repetitas: sed ita ut in hoc angulo constituti, eadem in opposito sonare audirent: eô ubi venissent, rursum alibi: ut prodigiosam rem omnino esse appareret. Hoc vere, & quidem tribus continuis noctibus, ita gestum, Testimoniis magnorum Virorum, qui ipsi interfuere, & propriis auribus audivere, (inter quos *Iohannes Wolizky*, nobilis Jureconsultus) constat. Similemque vocem Wiennæ fuisse auditam, scripto publico relatum est.

19. Nec est ignotum, quomodo per hæc ipsa tempora ecstaticæ quædam personæ, diversis etiam locis, ex arcana revelatione horribiles tyrannis & persequutoribus pœnas annuntiârint. Inter quas fuit *Christina Poniatovia*, Virgo Bohema: cujus visiones ab ipsamet manu propriâ conscriptæ, & verbum de verbo in Germanicum translatæ, typis jam vulgatæ sunt. Hæc Revelatoris jussu ad Walsteinium quoque Principem literas (à persequendis fidelibus dehortatorias, sub excidii temporarii & æterni interminatione) scripsit, Gic-

ziniam ipſamet detulit, Principiſſæ in manum tradidit, eamque cum ſuo frequentiſſimo Gynecæo (in conſpectu omnium in ecſtaſin abrepta) in horrorem dedit. Literæ antequam Principi traditæ eſſent, à Jeſuitis reſeratæ, lectæ, ut Piccardicum commentum irriſæ ſunt; ut & Princeps eas interpretari viſus eſt. Dixit enim, ſubridens: *Cæſarem Dominum ſuum literas Madrido, Conſtantinopoli, Româ, &c. accipere; ſe autem ex ipſo Cœlo.* Sed expertus eſt, quam jocari conveniat in rebus ſeriis: brevi poſt eô ipſo mortis genere, quod præviderat & prædixerat Chriſtina (& quidem ab ipſiſmet ſuis, quibus ut placeret, Veritatis Confeſſorum oppreſſionem, reluctante licet Conſcientia, quod ſatis notum, promovit) miſere perditus.

20. *Ferdinandum* ipſum, pertinaciter adverſus populum Dei ſeſe obdurantem, diverſis plagis percuſſit Deus aliquoties. Primo enim excitabat illi continuo alios poſt alios hoſtes, qui eum bellis fatigarent: quod utut ei Baalitæ ſui, tanquam optatas victo-

riam

riam continuandi, & hæreticos quaqua versus proculcandi occasiones, interpretati sunt: sæpius tamen res suas in angustias redigi senserunt, non extra conversionis periculum. Sed quia ad omnia obduruerant & obbrutuerant, redierunt semper ad ingenium.

21. Nam mox ab Exsequutione Pragensi Cæsaris in Hungariam exercitus à Bethlemio fuit fusus: ubi Bukwoy ipse, Dux excellens, interiit. A confiscatione qua publicata erant permultorum Euangelicorum bona, Anno 1623, iterum ad Hodoninum Moraviæ ad extremas redactus fuit angustias totus Cæsareanus exercitus, resque pro conclamata omnino habita; nisi *Comes de Monte nigro*, turpes pro Cæsare pacis conditiones amplexus, ad pedum usque oscula Bethlemio sese demisisset. Rebellarunt postea superioris Austriæ subditi, rerumque difficultatem multum auxerunt. Hoc etiam memorabile. Ea ipsa die qua prima Civium Pragensium proscriptio vulgata fuit (12 Julii, Anno 1627) afflixit Deus horrendo terræ motu Italiam, quô multa oppida

& pagi cum multis hominum millibus absorpti sunt.

22. Percussit interea & primogenitos Ægyptiorum Deus, primoribus eorum morte abreptis: Paulo scilicet V, & Gregorio XIV, Pontificibus; Philippo III, Hispanorum Rege: Carolo item, Alberto, Johanne Carolo, Austriæ Archiducibus, Ferdinandi Imperatoris fratre, patruo, filio: & aliis.

23. Tandem, cum non Bohemia solum, sed Germania tota, prodigiis plena esset, & hostes tamen cælum terræ miscere, omniaque tyrannide & impietate opplere, non cessarent, excitavit Deus ab Aquilone turbinem, qui adhucdum impiæ Babylonis muros quassat.

24. Cui etiam, ut Dei esse opus magis appareret, Gallia ipsa, tametsi Romana sacra professa, tyrannidis tamen tam diuturnæ, & semper in majus auctæ, incrementorumque affectatæ dudum per aliorum Regnorum oppressionis & ruinas Monarchiæ, otiosa spectatrix diutius esse non ferens, sua junxit consilia & vires.

Qua-

Quarum rerum exitum novit Deus: nos non aliud nunc quam judicia Dei consideramus. *Qui novit gentes quæ bella volunt fatigare bellis, & illis qui sanguinem sanctorum Dei fundunt, sanguinem dare bibendum*, quemadmodum comminatus est (Psal. 68. 34. Apoc. 16. 5. 6.)

CAP. CVII.

De Fidelibus Bohemiæ, post tantam desolationem, Reliquiis.

QVamprimum Antichristi gladius victor micare cæpit, non deerant pii Ecclesiarum Doctores, qui publice & privatim, concionibus & libellis, contra venturæ persequutionis tempestates præmonerent, & pectora præmunirent. Sed quia *vix unquam Deus per turbinis & procellæ viam ingreditur* (Nah. 1. 3.) *quin à facie iræ ejus diffindantur montes, & confringantur petræ*(1. Reg. 19. 11.) accidit hîc etiam,

ut ſubverſæ ſint etiam columnæ, Procerum nempe major, & Miniſtrorum nonnulla pars, cum plebis univerſali quaſi ruina. *Vnde gaviſi ſunt & exultârunt qui diripuerunt hæreditatem Domini, effuſi ſunt ſicut vituli ſuper herbam, mugierunt ſicut tauri* (Jer. 50. 11.) Sed quô gloriæ Dei & humanæ ſalutis profectu? Id vero vix unquam ullis lacrymis ſatis digne defleri poterit.

2. Nam quia in tanto ab Euangelio recedentium numero, vix quiſquam fuit, qui intra ſe perſuaſus eſſet, id quod amplecti jubebatur, veriorem eſſe ſalutis viam: ſed mere hominum vel metu, vel ſtudio, cæco & vere bruto impetu, alii aliorum ſequuti exempla, & vim inferentes conſcientiæ, in apoſtaſiam ruerunt: quid quæſo de toto illo agmine aliud ſtatuere licet, niſi *eſſe populum iniquitate gravatum, ſemen nequam, filios ſceleratos, qui dereliquerunt Dominum, blaſphemârunt Sanctum Iſraelis, abalienati ab eo retrorſum?* (Jeſ. 1, 4.)

3. Egregiam vero laudem, & ſpolia ampla tuliſtis, ò animarum lenones! *Gregem Epicureorum effeciſtis, qui*

ollas

ollas sectantes, ob cucumeres, & pepones, & porrum, & cæpe, Ægypti mancipia fieri sustinuerunt. Quin Atheismi semine consevistis hominum corda, plerisque jam nihil credentibus; & ne quid conscientiam opio vestro sopitam remorderet, omnem Dei cultum sublatum cupientibus. Si mitius loquamur: *Ecquid lucri, ut homines Vobis mentiri adigatis? An enim omnes illos, quos novum Vestrum Catholicismum profiteri coëgistis, Vestrates esse creditis?* Removete quæso, ab altera parte Aurum & illecebras, ab altera Gladios, Equuleos, & alia crudelitatis instrumenta, conscientiarumque restituite libertatem: quam serio Vestra sint amplexi, mox videbitis. Si igitur pseudoamicus est, qui alterius fortunam sequitur, non animum; Vos cur tam stolidi estis, ut Vobis tantopere de iis, qui assentandi solũ gratia, aut coacti, Vestræ victoriæ fortunam sequuntur, placeatis? Fastus Babylonicus stimulat Vos, ut quacunque ratione allecti, vel adacti, ad adorandũ *auream vestram Statuam populi, & nationes, & linguæ Vestrum sonum Tibiæ, Citharæ, Sambucæ, Nablii, & omnium instrumentorum Musi-*

torum, audiant; Vos autem vino ſcortationis inebriati, ſecuriùs, & in majori ſpectantium ac plaudentium numero jucundius, conſuetas ducere poſſitis choreas. Sed bene eſt quod adventare ſcimus tempus, quô *vocem Citharædorum, & muſicorum, & tibiarum, in te, ô Babylon, ceſſare faciet Dominus* (Apoc. 18. 22.)

4. Ineſt tamen boni aliquid furori iſtorum: per ſapientiam nempe ejus, in cujus manu ventilabrum ſunt Tyranni, ad purgandam Eccleſiæ aream. Separata enim hîc quoque eſt à tritico palea, & ab auro ſcoria ſeceſſit; ut quibus Chriſtus cordi fuerit unquam, jam appareat, detectis hypocritis. Speculum certe vidimus, & præludium quoddam ejus, quod in adventu ſuo futurum prædixit Dominus: *ut duo eſſent in lecto uno, quorum alter aſſumetur, alter relinquetur: duæ in mola, quarum una aſſumetur, altera relinquetur.* Hîc inquam quæ ſit veri amoris Dei vis, & quantus pietatis fucatæ languor, evidenter apparuit. Nam, ut taceam amicos ab amico, conſanguineos à

conſan-

consanguineis, parentes à liberis, & liberos à parentibus, fratres & sorores ab invicem, in hoc Dei spectamine divulsos: *Conjuges etiam nonnulli, altero Crucis examen non sustinente, disjuncti sunt.* Vivunt in Exilio mariti, quorum uxores ut pro Christo sua desererent, induci non poterant. Vivunt contra nobiscum Matronæ, quæ ut Christo fidem servarent, maritos apostatas deseruerunt. *Iudicia tua, ô Deus, abyssus magna!* exclamat David Psal. 36.

5. Interim autem *quid fiet de seductis?* quos ardentis Babylonicæ fornacis metus procidere, & statuam illam, Antichristum, adorare coëgit? Paulos nos esse decet, cui dolor fuit magnus, & cruciatus assiduus cordi suo, pro fratribus, qui ita se gerebant, ut rejectanei à Deo evaderent. Licet & sperare, non defuturam Dei misericordiam in viam pœnitentiæ reducendis electis. Quia tamen justus judex Deus, *Timidis quoque & Mendacibus* (quid autem sunt hypocritæ illi, qui ore abnegant quod corde credunt, nisi timidi

& mendaces in conſpectu Dei ?) *partem in ſtagno igne & ſulphure ardenti aſſignat* (Apoc. 21. 8.) *& omnibus qui characterem Beſtiæ acceperunt ſeu ſuper fronte, ſeu ſuper manu* (h. e. ſeu profeſſione, ſeu cooperatione Beſtiæ adjuncti fuerunt) *calicem iræ denuntiat in æternum* (Apoc. 14. 9.) certum eſt eos in periculoſiori eſſe ſtatu, quam id credere volunt plerique : cum vix *poſſibile ſit ſemel illuminatos, qui guſtaverant donum cæleſte, & participes fuerant facti Spiritûs Sancti, guſtaverantque bonum Dei Verbum, ac virtutem futuri ſeculi, ſi prolapſi fuerint, renovari ad pœnitentiam* (Hebr. 6. 4. 5.) *quia Deus irrideri non patitur* (Galat. 6. 7.)

6. Talis autem ſtatus cum ſit popularium noſtrorum in genere, exclamare licet cum Propheta : *Niſi Dominus Exercituum reliquas nobis feciſſet reliquias admodum paucas, ſicut Sodoma eſſemus, & Gomorræ ſimiles* (Jeſ. 1. 9.) *Sed laus ſit miſeratori noſtro Deo, qui ſibi ſervavit Semen ſanctum*, quo conſitus denuo Eccleſiæ Bohemicæ ager, in Deo gratam meſſem exuberare poſſit. *Exierunt* enim plerique omnes, qui ſacros cul-

tus

tus ſequi, quam Jeroboamo adulari. & immani idololatriâ Dei ſui fœdus deſerere, maluerunt: *hominum circiter duodecim millia.*

7. Nam *de Baronali & Equeſtri ordine* Anno 1630 (ſubducto à quibuſdam curioſioribus, ut fieri potuit, calculo) *reperta ſunt in exilio* 185 *familiæ, è ſola Bohemia egreſſæ*: de ſingulis vero familiis, una, duæ, tres, decem, viginti, imo ad quinquaginta uſque (ut in Caplirziorum, Gerſtorffiorum, & Kelblorum domo) maſculæ ſolum perſonæ.

8. *Miniſtrorum Verbi bona quoque pars, per benignitatem Dei, reliqua eſt.* Cæterorum quidem quomodo ſubduci poſſet numerus, rationem non novi: in Unitate Fratrum ſcio de ducentis circiter, qui Anno 1620 in vivis erant (in Bohemia & Moravia) ſupereſſe 96 plus minus. Reliquos per hoc decennium gladius, peſtis, & morbi è terroribus, frigore, fame, carceribus, contracti, abſumſere.

9. Cives & Opifices, è ſingulis etiam Civitatibus & oppidis egreſſi ſunt, hinc plures, inde pauciores:

quin

quin & de agricolis atque rusticana plebe non pauci reperti sunt, qui alios sequuti, ad exteros abierunt.

10. Invenerunt autem Exilii sui sedem, pars maxima (ob vicinitatem) in Electoris Saxoniæ Ditionibus, Misnia, utraque Lusatia, Voitlandia. Non exiguo etiam numero confugerunt ad umbram Ducis Culmbacensis, & Marchionis Berrutensis. Nonnulla item pars in Marchiam Brandeburgicam, adeoque in Hollandiam ipsam, &c.

11. Qui in Poloniam secesserunt, Patronum invenerunt Illustrissimum Palatinum Belzensem, Dn. *Raphaëlem Comitem de Lessno*: qui in Ditionibus suis (*Lessna. Wlodaviæ*, & *Baranoviæ*) ultra millenos benigne fovit, & ab hostium insultibus protexit. Oppida item *Ostrorogum*, *Skoki* (sub tutela Illustris Comitissæ Ostrorogiæ, & Magnifici Domini *Nicolai Ray* de Naglowitz) itemque *Kobylinum* (sub Dn. *Abrahami Szeniuta*, &c.) *Thorunium* denique Regalis Borussiæ Urbs, receptaculum non paucis fuêre. Quibus omnibus Illustrissimus Princeps, *Christophorus*

stophorus Radzivilius, & Polonicæ ac Lithvanicæ Ecclesiæ, in sublevanda Exilii miseria, nec non alii pii quorum corda excitabat Dominus, non illiberales sese præbuêre.

12. In Hungaria excitavit Deus Illustrissimi Dn. *Georgii Rakozii* (nunc Transylvaniæ Principis) animum, ut ditiones suas Moraviæ vicinas, *Puchoviensem* & *Lednicensem*, asylum constitueret Exulibus Moravis: quô tamen ex ipsa Bohemia quoque commigrârunt nonnulli; ut & in ditiones Comitis *Turzonis*; Comitis *Eleshazii*; Domini *Revai*, *Nadazdii*, *Niarii*, *Wiskeleti*, & aliorum.

13. Nec non in Silesia, Cæsari alioqui subjecta, roboravit Deus *Iohannis Christiani Ducis Brigensis* animum, ut plus Deo quam homini obtemperare ausus, in Ducatu suo multos Exulum, Bohemorum & Moravorum, foveret. Cui, ut & cæteris, *qui in meridie posuerunt umbram suam velut noctem, ut absconderent propulsos & vagos non proderent; qui habitare apud se fecerunt profugos Dei, & illis latibulum erant à facie vastatoris; illis*, inquam, *benedicat*

Iehova

Iohova Deus noster, ut solium eorum stabiliatur beneficentiâ, & sedeant in tentoriis Dei, exercentes justitiam! (Jes. 16. 3. 4. 5.)

14. Præter memoratos autem, qui exilio apostasiam effugerunt, *in ipsa quoque Bohemia & Moravia, in medio abominationum servavit sibi Deus adhuc plus quam septem millia, quorum genua non sunt incurvata ante Baal, neque os osculatum est eum.* Non parvulos intelligo, qui inter dextram & sinistram non discernunt: sed adultos, qui in aliquammultis locis (sub mitioribus scilicet Dominis) tam atrocem ut alii, non experti persequutionem, fidei constantiam retinuerunt: nempe multi in *Fridlandiæ Ducatu*, *Wsetinensi* (cujus antea meminimus) *tractu*: *sub Baronibus item Zerotiniis & Waldsteiniis*, & aliis quibusdam, subditos sibi nimium vexari ægre permittentibus. His igitur gratiam hanc Dei nemo piorum invideat: ejus enim dispositione in Ecclesia cuncta fiunt, qui dixit: *Si hunc manere volo, quid tua? Tu me sequere.* (Joh. 21. 22.)

15. Denique, multos è prolapsis no-

novimus, qui cum Petro lapſum ſuum (etiam per literas ad ejectos Paſtores ſuos id teſtantes) amare deflēt. Quinimo nonnulli eorum quibus Miniſtri & Miniſterii copia eſt, jam ſe Eccleſiæ reaſſociârunt: alii cum deſiderio, & corde prorſus anxio, relaxationis anhelant tempus, parati quâcunque ratione Deo & Eccleſiæ reconciliari. Ideo vel cæteris ardentius divinam implorant miſericordiam, cælumque gemitibus & ſuſpiriis fatigant: æque pertinaci nobiſcum ſpe ſua damna levantes, & adventantem ſuis in auxilium DOMINUM proſpectantes.

16. *Tu igitur ó Deus noſter, reſpice nos miſeros, quos ſic humiliâſti in loco afflictionis, ut nos cooperiat umbra mortis! Qui propter Te mortificamur totâ die, æſtimamur ſicut Oves ad mactandum. Evigila Domine, quare dormis? Expergiſcere, ne rejicias nos in æternum! Quare faciem Tuam avertis? obliviſceris afflictionis noſtræ, & oppreſſionis noſtræ? Quoniam humiliata eſt in pulverem vita noſtra: adhæret terræ venter noſter. Exſurge Domine, adjuva nos: & redime nos propter nomen Tuum* (Pſal. 44. ℣. 21. &ſſ.) *Grex diſperſus factus eſt*

Iſraël

Iſraël tuus, Leones ejecerunt eum. Imple promiſſa Tua, ò veraciſſime Deus, *ut quæratur iniquitas Iſraël, & non ſit: peccatum Iuda, & non inveniatur: quia propitius eris illis, quos reliqueris* (Jerem. 50. 17, 20.) *Redi Domine, & placator ſervis Tuis! Satia nos mane bonitate Tuâ, & ovabimus ac lætabimur cunctis diebus noſtris. Exhilara nos pro diebus quibus nos afflixiſti, pro annis quibus mala ſumus experti. Effulgeat in ſervis Tuis opus Tuum, gloriaque Tua in filiis eorum* (Pſal. 90. 14, &ſſ.) Amen, Amen, Amen!

FINIS.

INDEX CAPITUM
Hujus Libri.

XXXI.

CI. Re-

INDEX
Perſonarum & Rerum.

A.

Bi-

C.

Com-

Edi-

E.

Fabia-

F.

Georg.

De

de

N.

O.

Radzi-

R.

T.

V.

Z.

FINIS.

